4. 4. 206

9 I. 4.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ASSERTIO
PRO UNICO
S. EUCHERIO
LUGDUNENSI
EPISCOPO.

Auctore JOS. ANTELMIO, *P. A. F. Can.*

OPUS POSTHUMUM.

Accedit Concilium Regienſe ſub ROSTAGNO
Metrop. Aquenſi, anni MCCLXXXV.

Nunc primò prodit integrum, & Notis illuſtratum
operâ CAR. ANTELMII, *deſignati Ep. Graſſ.*
Præp. Foroj.

PARISIIS,
Apud ANT. CLAUDIUM BRIASSON, Bibliopolam,
viâ Jacobæâ, ſub ſigno Scientiæ.

MDCCXXVI.
CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

f15 = 1741 B.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO

D. D. ANDREÆ HERCULI

S. R. E. CARDINALI

DE FLEURY,

ANTIQUO FOROJULIENSIUM EPISCOPO,

CHRISTIANISSIMI REGIS

QUONDAM PRÆCEPTORI,

GALLICI REGNI ADMINISTRO;

Et Sereniſſimæ Galliarum Reginæ Magno Eleemoſynario, &c.

QUAM *paucis ante obitum diebus, pro unico* SanctoEucherio, *Lugdunenſi Epiſcopo, Aſſertionem confecerat amantiſſimus mihi Frater, honori ac meritis tuis ampliſſimis,* EMINENTISSIME CARDINALIS, *jam diu*

Digitized by Google

dicatam volui, grati & obſervantiſſimi animi erga te mei qualecunque monimentum. Verùm quæ me ad tuum patrocinium ambiendum, in hujus commendationem operis, impulerit cauſa, illam tu efficis ac præſtas multò æquiorem, mirâ ſimilitudine cum Eucherio, *quem in plurimis cumulatè refers virtutum ornamentis, ævi noſtri, ut ille ſui, maximus, fide, honorum contemptu, Literarum ſcientiâ. Opuſculum igitur & quidquid additamenti de meo acceſſit, tibi eò libentiùs offero, quòd non ignorem illam fratris mei ſententiam, de unico Lugdunenſi Præſule* Eucherio *tibi olim fuiſſe probatam: hinc mihi certa ſpes, rem præjudicatam fore illam orbi literato, cum noverit, tibi eximii peracriſque ingenii viro, placuiſſe. Quòd ſi tanto præſidio firmata expectatio me non fallit, Eccleſia Forojulienſis quæ* Eucherium *dediſſe Lugdunenſibus in ſummam gloriam ducit (Juniori, quem vocant, expuncto) Seniorem magnum & unicum, ipſis quodammodo reſtituiſſe ſibi gratulabitur. Serius fateor quàm par erat ad deſiderabilem mihi operam, manum admovi; at ſi quid morando deliqui, veniam à te juris & æqui arbitro benigniſſimo, me facilè con-*

ſecuturum ſpero: Cum etenim Eccleſiæ Forojulienſi praeſſes, ego pro tua facilitate & humanitate in partem aſcitus ſolicitudinis, vix ad alia divertebam animum, quàm ad ea quæ erant mei muneris. Iiſdem poſtmodum implicatus curis, ubi primùm mihi licet, geminum, uno eodemque opuſculo pro viribus exequor officium, unum quo tibi, alterum quo dilectiſſimo Fratri devinctus ſum. Huic equidem plurimùm debeo qui orbitati meæ proſpiciens, puerum, multâ cum curâ & diligentiâ, artibus ad humanitatem informavit, adoleſcentem ſalubribus monitis ad temperantiam induxit, Canonicum ad divini cultum Numinis, & ad ſacrarum literarum ardorem, domeſticis exemplis accendit. Tibi verò, EMINENTISSIME CARDINALIS, *quibus verbis gratias referam, qui me virum, Preſbyterumque ſanctis & integris doctrinis, conſuetudine fermè quotidianâ imbuiſti, & ornaſti. Si quid enim inſit judicii, ſi quid literaturæ, ſi quis rerum uſus, totum muneris hoc tui eſt, ac tuis ſeu publicis, ſeu privatis illis, quibus cum erudiebar, tum delectabar colloquiis, acceptum refero. Neque mihi ſolùm*

beneſeciſti, atque profuiſti. Quis tecum eſt allocutus cujus menti lumina, clariſſimo tuo lumine non intuleris? quis familiaribus tuis de rebus divinis ſermonibus adfuit in Synodis, aut in Seminariis, quem ipſe abundans pietate ad pietatem non concitaveris? Largâ dum quotidie ditaremur, quotquot congreſſu tuo dignabaris, variarum eruditionum copiâ, auctiorem inveniebamus quàm priùs videramus) *ut de* Honorato *noſtro narrat alter Arelatenſis Epiſcopus* Hilarius) *exemplis ſemper uberiorem, graviorem ſententiis, omnis doctrinæ ſcientiſſimum, de inexhauſto memoriæ tuæ theſauro, nova & vetera in dies proferentem. Meritò ſanè tota Diœceſis Forojulienſis, te morum inſtauratorem, diſciplinæ auctorem, fidei doctiſſimum aſſertorem veneratur Pontificem. Sacramentorum quippe frequentiâ, ſacrorumque Canonum obſervatio, vel initium, vel tantùm incrementi te ſuaſore ſuſceperunt, ut qui preſſis veſtigiis tua ſequitur, divinæ gloriæ omninò ſtudioſus Illuſtriſſ.* Pet. Joſ. de Caſtellane, *meritiſſimus ſucceſſor tuus, non tam nova moliri, quàm ſtabilita impenſiùs fovere, magno laborum compendio,*

In orat. de S. Honorato.

unicè curet. Quot & quantis anteà prememur neceſſitatibus, eò gravius eſſet & invidioſum recolere, quod ne veſtigium quidem ullum ope tuâ ſuperſit priſtinæ liberioris licentiæ. Quàm felix fauſtaque, te Pontificatum auſpicante, converſio? Vidimus, quod etiamnum miramur perfectum cumulatumque, pravos degenereſque uſus aboleri, tecum in nos induci moderationem, religionis cultum, virtutis ſtudium & amorem, uno verbo, eam quam vix auſi eſſemus ſperare, rerum omnium præclarè factam mutationem. Singulari veréque Paſtorali quâ ardebas charitati non eſſet factum ſatis, ſaluti gregis crediti abundè providiſſe, niſi ſingulorum neceſſitatibus, commodis, fortunis invigilaſſes, cônſiliiſque auctoritate & liberalitate ſuccurriſſes, quaſi unus eſſes omninm Diœceſanorum Paterfamilias. Prolixis erogationibus tuis, præ reliquis, perſonat undique Xenodochium noſtrum, quod ſacrarum, Monialium conſtitutione munivisti, & tam copioſo cenſu dotaſti, ut quæ ære fundatas miſerè labantes, aut ſubverſas ætas noſtra ingemuit pias ædes, haſce ſalvas, integraſque traditura ſit po-

ſteris, novis identidem à te cumulatas & cumulandas donis. Laudes licet tibi adeò curæ non fuerint, ut nec auribus admiſeris, nequeo mihi temperare quominùs commemorem illam, cujus diſcedens à nobis, tantum tecum traxiſti deſiderium, juniorum Clericorum inſtitutionem, quos officio & diſciplinâ à puero aſſuefactos, in agreſtium Parochiarum ſubſidium providè parabas; Seminarium, in quo impenſis tuis alebantur, ſtato per hebdomadem die inviſere, illorum naturam, mores, progreſſus in literis & pietate diligenter expendere, cum eis aliquando convivere pro deliciis habens & laxamento. Auctoritati aſpergere comitatem, maximâ valere gratiâ ad beneficentiam non ad ambitionem, non ad injuriam, ad conſcientiam & ad officium referre omnia, nihil ad oſtentationem, ovili denique commiſſo, non ſibi vivere, iſta ſunt, Eminentissime Cardinalis, *benefici atque eminentis ingenii tui ſigna præſtantiſſima; his præclaris fontibus derivati in tuos Forojulienſes fructus innumeri; his prudentiæ & probitatis exemplis, non uni ſolum Diœceſi, aut Provinciæ prælucebas, ſed univerſam illuſtrabas Eccle-*

ſiam

ſiam Gallicanam. Teſtem habeo non vulgarem, Sereniſſimum tunc Sabaudiæ Ducem, nunc Regem Sardiniæ qui Civitate Forojul. occupatâ, quo tempore in Provinciam invaſerat, ex te uno conjecturam faciens de cæteris, non alibi extare *ſæpiùs dixit*, Epiſcopos, qui cum Gallicanis conferantur. *Caſtrorum tum Præfecti, ſuavitate tuâ, intelligentiâ, oriſque ac vultûs dignitate ad te rapti & converſi, hoſtili illico depoſito animo, civibus placabiles & tui ſe præbuere obſervantiſſimos. Quid poſt tam laudabiliter & religiosè geſta Eccleſiæ Forojulienſis felicitati defuerit, niſi diuturni pontificatûs plenitudo? Attamen ſponſam adeò tibi charam, tanta de te meritam, tibique omnino obſequentem & devotam, Chriſto Sponſo curis vel leviſſimis mox exhibendam, non habentem maculam neque rugam, linquere meditaris, & placens omnibus præterquam tibi, triſtem, proh dolor! exitum, ante diem paras, urges, tandemque* à Ludovico Magno *exoras. Quantùm tam acerbo & inopinato caſu perculſi, quo luctu communis parentis jacturam fuerimus lamentati, haud facile oratione conſequi. At Deo grates im-*

ẽ

Digitized by Google

mortales, qui Gallicum Imperium, nedum tractum unicum propitius reſpiciens, diuturno nos mœrore premi non eſt paſſus. Etenim dum grata ſancto deſiderio, nobis vero infauſta ſecedendo perficis, aliud à Deo, ut ſerviens uni conſulas omnibus, tibi aſſignatum munus, Moderatoris ſcilicet ſtudiorum Auguſtiſſimi Delphini. Quæ tibi ſeges eſt, ac materia laudis, delectus quem commendat, tum officii magnitudo, tum eligentis & propè dies ultimos futura proſpicientis ſapientia, tum quæ conſecuta eſt firma & conſtans Sereniſſimi ſupremique Procuratoris Regni, erga te benevolentia! Propenſam in te Principis ejuſdem voluntatem fide, integritate, & candore auxiſti, auctus ab ipſo amplis honoribus, ac demum bonorum omnium plauſu, Regni Adminiſter creatus. Dolorem jam compeſcimus (ut quid enim faſtigio ſplendoreque tuo offenderemur) neque te querimur aut cenſemus amiſſum, EMINENTISSIME CARDINALIS, *officio tantùm mutatum ſcimus, non ingenio, disjunctum locorum intervallo, non animo, nihil remiſſum de tuâ in Forojulienſes charitate, quos eò potentiùs tueris, quò ad Regem accedis*

Digitized by Google

propiùs, uti reipsâ Civitas eſt ſæpius experta, fortè aliquando, (ſi ex benè animato in Forumjulii, tuâ causâ gratiſſimo Rege ominari liceat,) Vetus hæc & illuſtris *(referente* Tacito) Romanorum Colonia *propter loci amœnitatem & opportunitatem, balneis, Aquæductibus, Amphitheatro, portûque tutiſſimo ornata, & lapſu temporum deformata, priſtinæ amplitudini reſtituenda. Forojulienſibus interim gloria & ſummum decus ſit, quo* Ludovicus XV. *uſus eſt humaniorum literarum Magiſtro, eis annos quindecim præfuiſſe Paſtorem. Quæ ego in aſſiduo comitatu quo me id temporis,* Eminentissime Cardinalis, *honeſtaſti, exempla vidi lenitatis, prudentiæ & æquitatis? Quàm rebus ſacris facilè affectum, & illis tractandis intentum te animadverti? Quàm ad omne opus bonum, promptum & paratum? Extollent alii, tum ingenium elegans & politum, tum ſuavem in rebus agendis ſolertiam, alii Orationis leporem, mentem alii abſque fuco & fallaciis, nuſquam non humanitatis plenam: mihi verò præcipuè colendus & ſuſpiciendus ſemper erit æquabilis ille animus tuus, in adverſis non dejec-*

tus, in proſperis non elatus, in repentinis non commotus, firmum idem & conſtans ſanæ tuendæ doctrinæ ſtudium, dubiis & ſecundis temporibus palàm & apertè profeſſus. Tui ſemper compos & ſimillimus; ſive Diœceſim regas, ſive Regem liberalibus diſciplinis erudias, ſive eruditum, fidelibus & liberis juves conſiliis, ſingula ex æquo & bono maturè penſitata profers ac aggrederis, nulla fortuitò, aut intempeſtivè. Ubique in tantâ quam ſubiiſti vitæ & rerum converſione, commoda, auctoritatem, naturæ & gratiæ facultates omnes, communi utilitati, tuæ immemor, æqualiter conſtanterque concedis ac dimittis. Dum enim tam aſſiduas & inſignes rei Chriſtianæ & publicæ impendis curas; eâ es modeſtiâ, ut quæ ſunt apud omnes virtutis præmia, Archiepiſcopatus inſigniores & ipſam Regii Ordinis S. Spiritus dignitatem, invicto animo recuſaveris. Luculentum ſanè, in his deterioribus & remiſſioris diſciplinæ temporibus, mentis excelſæ & humana deſpicientis exemplar. Quid mirum, ſi his aliiſque antea factis, quibus recenſendis ſuperſedeo, non ſolùm apud omnes omnium Ordinum Gallos, ve-

rùm ingentem apud exteros exiſtimationem tibi comparaveris. Inde à Summis Pontificibus & à Potentiſſimis Europæ omnis Monarchis, reſcriptæ amoris, multi officii & ſingularis benevolentiæ literæ. Iſta inter innumera quæ de te honorificè fama prædicat, audire, honorum gradus hos à te detrectatos, illos quaſi coactè acceptos memorare, Eminentiſſimos Magnis tuis in Eccleſiam meritis jamdudum debitos, olim deſignatos & nuperrimè, non ſolùm Ampliſſimi S. R. E. Cardinalium Collegii conſpirante conſenſu, ſed (quod raró accidit) prævio exterorum Principum plauſu *delatos celebrare; Doctrinâ mirabiles lectitare Paſtorales literas, Te quandoque privatim publicéque dicentem exhibere & juvat & perpetuò ſolabitur tuos Forojulienſes. Hæc demum Epiſtolæ ſumma ſit, quæ & votorum jam eſt, non unius tantùm tractus, ſed Regni totius cujus ſaluti, tuam maximè conducere, boni omnes intelligunt; ut ſcilicet te Eccleſiæ ſuæ propugnatorem ſtudioſiſſimum, Regi Conſiliarium ſapientiſſimum, Regnoque adminiſtrum ſagaciſſimum, omnibus acceptiſſimum DEUS OPT. MAX. diù præſtet ſalvum*

Vot. Emin. Card. del Giudice in Conſiſt.

& incolumem. Hâc mente, nunquam immemor beneficiorum tuorum, in illa quæ te impulſore & ſuffragatore benigniſſimo, curis ejus tradita eſt, Diœceſi, omnibus & perpetuis precibus orabit & obteſtabitur,

EMINENTISSIME CARDINALIS,

EMINENTIÆ TUÆ,

Æternùm addictiſſimus
CAROLUS ANTELMIUS,
Deſig. Ep. Graſſenſis,
Præp. Foroj.

Pariſiis, VIII. *Kal. Octob.*
MDCCXXVI.

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM ASSERTIONIS

pro S. Eucherio Unico Lugd. Epiſcopo.

A Gaunenſium *M M. acta interpolata*, pag. 122. *De eis* Pet. Fr. Chifflerii *judicium*, ibid. *Sincera & Germana S.* Eucherio *reſtituuntur*, 122

Antelmii *Joſ. vitæ ſynopſis, ſcripta, laudes ab exteris delata. In Præfat. per tot.*

Avinionerum *hodie*, Neapolis *patria S.* Maïoli *Abb. Clunic. non Avenio.* 104. 111.

Baronius *non ſibi conſtans in uno aut duobus* Eucheriis *aſſirmandis.* 39

S. Cæſarii *vita Acta in multis vitiata*, p. 6. *Ex* Arauſicano *&* Valentino *unicum conflant Concilium*, p. 15. *Quanam ſit illa* Valentina *Synodus*, p. 26. 27. *Eadem Acta illuſtrantur*, p. 96. *Eorum auctor S.* Cyprianus *Telon. Epiſc.* 163

Eucherii *Vita in actis S.* Conſortiæ *contenta, pluribus laborat vitiis*, p. 25. *Quæ inſunt vera, non ad* Juniorem, *ſed ad S.* Eucherium *Magnum unicè referuntur*, p. 55. & 61. *In ejus geſtis referendis* Ado, Florus *&* Uſuardus *diſcordes*, p. 113. *Ejus prope* Lirinum, *ſpecus & domicilium apprimè deſcribunt*, 78. *Vetuſta & certa locorum in actis deſignatorum nomina, adhuc ſuperſunt*, p. 88. & 105. *Ejus ad* Philonem *Epiſtola*, p. 130. *Epitome opuſculorum* Caſſiani, p. 134. *In Inſu â* Barbarâ *recluſus & Recluſorum pater*, p. 133. *Ejus conjugii ſancti & uberes fructus* Salonius, Veranus, Conſortia *&* Tullia, p. 140. &c. *Mira ejus cum S.* Paulino *Nolen. ſimilitudines*, p. 144. *Ejus geſtorum ordo chronologicus*, p. 148. *In omnibus libris Eccleſiaſticis, Lugduni, & ubique terrarum unicus cognitus hujuſce nominis Epiſc. Lugdunenſis.* p. 47. & 156. &c.

Eucherius *alter à quo tempore ab Eccleſiâ Lugdun. notus & cultus.* p. 158. *Qui hujus nominis nomen ſubſcribit Conciliis vj. ſec. non erat Epiſcopus Lugdun.* p. 35. *Neque inter Primores ſubſcribit, quamvis ſecùs aſſerat Breviarium Lugdun. recentius*, 162. *De illo in antiquioribus tam mſſ. quàm editis ne verbum quidem*, ibid.

Eucherio *Utrique, nec eadem & patria, & opes, & dignitas*,

neque ejuſdem conjux nominis Galla, *aliaque indiſcreta ſimilitudines eſſe potuerunt*, p. 61. & 161.
Lugdunenſium Epiſcoporum ſeries reſtituitur, p 153
S. Maxima *Provincialis an Afra, ejus cultus antiquitas in Diœceſi* Forojul. *Tranſlatio Reliquiarum in med. Præfat.*
S. Maïolus *B.* Conſortiæ *Reliquias ſacras tranſvehit* Cluniacum, p. 104. *apud* Lirinenſes *redivivus*, p. 105.
Via Aurelia prope ſecreta loca Lirinenſ. & S. Eucherii, p. 89.
Xenodochia cœnobiis olim proxima, p. 97

N. QUantum ad Concilium Regienſe, notaſque ſubjunctas, pro indice ſunto Capitulorum tituli, Concilio præfixi.

Finis Indicis.

PRÆFATIO.

PRÆFATIO.

DUabus partibus iiſque multum diſſimilibus conſtat volumen iſtud, cum neutra ſeorſim edita, exiguum poſſet conficere. Prior continet *Aſſertionem de unico* Eucherio *Lugd.* Epiſcopo, ejus ac *S. Conſortiæ* vitæ acta diſcutit & elucidat, quæ inſunt in illis germana & ſincera nota facit, eaque ad magni nominis *Eucherium* ſolummodò referri debere novis certiſque indiciis oſtendit. Illius diſputationis argumentum in limine operis explicatur, neque ampliori hic eget explanatione. Monitum tamen Lectorem volo, C. V. *Pet. Fr. Chiffletium* pro eadem ſententia olim ſcripſiſſe, ſed carptim & conciſè. Haud aliter item ſenſit *Ad. Baillet*; at licet ſuum de Vitis Sanctorum Opus, ab annis plurimis vulgaverit, memini ego dum Pariſiis adhuc junior literarum ſtudiis vacarem circa annum

MDCLXXXIX. & frater meus typis mandari curaret ſuas *de veris operibus* SS. Leonis M. & Proſperi *Diſſertationes*, memini (inquam) illum me certiorem facere quod ſuam doctiſſimo Viro de unico Lugd. Epiſcopo *Eucherio* mentem aperuiſſet, rationum momenta coram explicuiſſet, mecumque ſibi tunc gratulari, quòd hominem eximium in ſuam traxiſſet ſententiam. Res eſt aliunde compertiſſima ex fratris mei obitûs anno qui longè ante præceſſit editionem librorum de Vitis Sanctorum, cum quibus ſtat perſpicuè ch. Fratrem primum omnium extitiſſe qui datâ operâ pro unico *Eucherio* Lugd. fusè latéque diſſertaverit. Pauca de meo adjeci quæ proprio notavi nomine ne cauſa erroris (ſi in quem impegi) germano meo delegetur.

Concilium Regienſe poſterior libri pars complectitur XVI. Kalend. Martii anno MCCLXXXV. celebratum à *Roſtagno* Archiepiſcopo Aquenſi cum Epiſcopis ſuæ Provinciæ, cui interfuerunt aliqui Abbates, aliique Viri Eccleſiaſtici. More ſolito, antiqui Canones in eâ Synodo renovantur, preces decernuntur pro liberatione *Karoli II.* Comitis Provinciæ, qui

Barcinone captivus detinebatur ab Aragonum Rege; aliaque circa morum & diſciplinæ emendationem, pro ratione temporum ſtatuuntur Capitula, quæ licet pauca ſint numero, non mediocris cenſenda ſunt auctoritatis, cum eorum plurima ad verbum deſcripta ſint à poſterioribus Conciliis *Avenion.* ann. MCCCXXVI. & altero anni MCCCXXXVII. *Bituricenſi* ann. MCCCLI. & *Vaurenſi* ann. MCCCLXVIII. ac ex noſtrâ Synodo emendari poſſint, & lucem accipere quidam illorum Conciliorum Canones. Licet autem iſta Synodus hucuſque latuerit in occulto, non tamen ignota fuit Provinciæ Scriptoribus Eccleſiaſticis, ſi unum excipias *Bartellum*, Eccleſiæ Regienſis Hiſtoriographum. De illâ multis in locis verba faciunt doctiſſimi *Sammarthani* in opere notiſſimo quod *Gallia Chriſtiana* inſcribitur. At qui plura de illo Concilio refert, cum magnâ virtutum laude optimi mei fratris, quocum erat & familiaritate & ſtudiorum exercitationibus conjunctiſſimus, is eſt æquè pius ac eruditus non infimum Provinciæ noſtræ decus. *Joſ. Cabaſſutius in ſuâ Notitiâ eccleſiaſticâ.* Exemplar quod

emitto auctoritate firmâ comprobatur; eſt enim exceptum ex alio authentico, quod in tabulis Cathedralis Eccleſiæ Forojulienſis aſſervatur, unà cum ſtatutorum capituli libro, cujus calci aſſutum eſt. Quoddam etiam hujuſce Concilii habetur fragmentum in ſtatutis Eccleſiæ *Siſtaricenſis*, quod jamdudum, V. Cl. Columbius S. J. edidit in Epiſcopis Siſtaric. ſed valdè mutilum; noſtrum verò apographum omnibus ſuis partibus eſt expletum. Quanvis enim Epiſcopos qui illi interfuerunt Synodo, primâ eorum nominum literâ duntaxat denotet, eos ſatis ſignificat ex deſignatione ſedium quas in integrum ſuppeditat. Unde & habitâ quoque ratione anni quò iſta Synodus coaluit, haud difficulter arguimus cujuſmodi in Provinciâ *Aquenſi*, eâ tempeſtate præfuerint Antiſtites Rem in expedito poſitam egimus, atque eorum Epiſcoporum nomina plane & aperte aptari illis perſpeximus, quos monogrammate noſter codex indicat. Literis eſt exaratus minutis, in leviori membrana, & ejuſdem videtur ætatis atque ipſum Concilium.

Digitized by Google

Ad Lectoris commodum, argumenta Capitulorum Præfationi præpoſui, notuſque adjeci ſub finem operis breviſſimas, prolixioribus ac ſupervacaneis abſtinui, ne affectatæ eruditionis ſuſpicionem gratis incurrerem.

Nemo verò mihi ſuccenſeat ſi Concilium *Valentinum* in Gallia quod ſub *Cæſario Arelatenſi* celebratum ferunt, è medio tollere agreſſus ſim; tum primò quia nullo alio fermè ſiſtit fundamento niſi vano & futili, nempè quodam loco vitæ *Sancti Cæſarii* omninò vitiato, ut demonſtratur luce clariùs in hacce *de unico Eucherio Lugdunenſi aſſertione*: tum quia in vicem fictitii & commentitii, germanum & ſincerum ſuppono & ſubſtituo Concilium iſtud Regienſe.

Lectorem jam rogo, an ſine offenſione accipiat quod de reliquis fratris mei ſcriptis, atque præcipuis geſtis ſummatim breviterque hic dixero. *Quod enim* ut ſapienter monet, *Paterculus*, *alieno teſtimonium redderem*, *in eo non fraudabo* germanum meum vigeſimo ætatis anno. Joſ. Antelmius ſtudiorum curriculo laudabiliter expleto laureâque Magiſtri in S. Theologiâ donatus,

Digitized by Google

Canonicatum obtinuit in Cathedrali Eccleſia Foroj. ex ceſſione Patrui noſtri Petri, viri religioſiſſimi. Collatum officium non perſumtoriè ſed accuratè implendi cupidus, periculorum quæ illius vitæ inſtitutum circunſtant (ut ab iis ſibi præcaveret) texuit Catalogum, quem inſcripſit: *De periculis Canonicorum.* Rudem & indigeſtam (*ut ſunt prima quæque operis & adhuc ſimilia* auctore Plinio *naſcentibus*) in ejus commentariis reperi materiam, quam longiori experimento doctior, amplificavi & fortè aliquando retractatam, Collegarum meorum uſui dabo.

Anno MDCLXXX. vulgavit hiſtoriam Eccleſiæ Forojul. ſub hoc titulo: *De initiis Eccleſiæ Forojulienſis, &c.* Proludebat illa tenuis opera impenſiori quam meditabatur de univerſa totius Diœceſeos, Eccleſiarum inſignium, & Abbatiarum hiſtoria. Illud grande verſans animo conſilium inſtrumenta vetera quæ in chartulariis Capitulorum, aliiſque in locis reconditis incluſa ſuſpicabatur, magna cum diligentia undique inquirebat è tenebris eruta excutiebat ea ſeligens quæ propoſito conducerent.

Peculiari affectûs pietate an cælites indigenas unum conſcripſit de præclara Virgine Maxima ad V. Cl. *Dan. Faperbrochum* S. J. Epiſtolam quæ in actis SS. die XVI. Maii refertur. In ea invictiſſimè probat ſanctam illam quæ in loco *Calidiani* prope *Forojulium* in Provincia colitur, incaſſum conquiri apud *Forojulienſes in Italiâ*, quibus nec memoria, neque cultus, neque ullæ remanent *Maximæ* reliquiæ ſacræ.

Qualis autem illa fuerit, quo floruerit ſæculo de eo in hac ſcriptione non tractatur. Tenuiſſimæ quidem afferuntur rationes quibus conjicitur Provincialem fuiſſe; & ex illuſtri & antiquâ proſapiâ quam de *Graſsâ* nuncupant, ortam; ſed eas adeò habet in levi conjectationes Cl. frater ut nil vetat, quominus quid ſimilius verò & firmius inveſtigent & perſcrutentur alii, quocirca in re obſcura non piget calculum meum ponere, cum ibi occurrat occaſio, nunquam amplius reverſura. Verum ante omnia quæ certiſſima ſunt, à dubiis & incertis ſecerni oportet. Conſtet igitur primùm ſanctas cognomines *Maximas* plures eſſe quæ fuſo pro Chriſto ſanguine, lauream martyrii meruerunt. De his nulla ver-

ſatur controverſia. At notiſſima eſt in Hiſtoria Africana perſecutionis apud Victorem Utic. ſerva nomine *Maxima*, quæ licet fortia egerit & paſſa ſit pro fide ſub *Geiſerico Rege* Vandalorum Ariano, in SS. Virginum numero illam referunt Martyrologia omnia, quandoquidem *poſt multos ſuperatos agones divinitùs liberator, in Monaſterio multarum Virginum mater, ſancto* Martyr. Rom. *fine quievit.* Hujus Virginis reliquias nullæ (quod ſciam) Eccleſiæ ſe habere glorientur (ſi alia ſit ab ea *Maxima* quam colimus, & cujus oſſa à priſca vetuſtate veneramur Forojulii) nam eorum quæ in ejus nomine apparent apud Eremitas Or dinis S. Auguſtini, Pariſiis, è Catacumbis, Roma recens allata, non eſt hic habenda ratio. Immò ſi hæc ita ſint, & alia ſit *Maxima* Afra, alia Forojulienſis conſequens eſt, ut Africana illa *Maxima* de qua tot mirabilia narrat *Victor*, per multa ſæcula, cœlitum honores, ipſi ſine controverſiâ, omnium ætatum judicio debitos, nullibi adepta ſit, niſi quod iidem Religioſi nuper datâ facultate eam inter SS. ſui Ordinis colendi, de illa & de *Martiniano, Severiano* & ſociis Officium in ſuo Breviario appoſuerunt.

Multis

Multis autem, præter iſtud indecorum conſequens rationum momentis adducor ut credam *Maximam* quæ colitur Forojulii unam eandemque eſſe ac Africanam. Quâ autem viâ in Provinciæ oras trajecta ejus oſſa, infra dicetur.

Nam I. quod ad cultûs antiquitatem ſpectat, certiſſimum eſt Virginem nuncupatam *Maximam* coli in Eccleſia Forojul. ab annis plus quam octingentis, ejuſque ſacra oſſa magnam apud locum qui huc uſque *Calidianum* appellatur, habere venerationem. *Ado Vienn.* qui circa exitum ſæculi IX. ſcribebat, rem apertè teſtatur ad XVII. Kal. Jun. his verbis: *In Pago Forojulienſi qui vocatur* Calidianus, S. Maximæ *Virginis quæ multis clara virtutibus in pace quievit. Adonem* ſecuti ſunt *Uſuardus*, *Nockerus*, & ipſum Martyrologium Romanum ſublata tantummodó voce *Calidiani*, at *Forojulio* ubique enuntiato. Alias omitto probationes quibus conſtat cultum illum ætate *Adonis* exorſum non eſſe, ſed tum jam invaluiſſe, ideóque longè altiùs eſſe repetendum. Factum pro certo habendum eſſe arguunt vetera inſtrumenta, Litaniæ antiquæ, ac Officia S S. Eccleſiæ

Forojul. quæ meus Frater in præfatâ Epiſtolâ laudat, ad quam (ne de eiſdem ſermonem repetam) Lectorem remitto, cum aliàs de fide & auctoritate *Adonis*, & de ejus verbis cultum antiquitùs ſtabilitum ſignificantibus, dubitari non poſſit?

II. Illam quam veneramur *Maximam* non conterraneam noſtram fuiſſe, ſed alienigenam, confirmatur præcipuè ex eo quod nullum in Diœceſi extet alicujus momenti veſtigium ejus generis, nec geſtorum, nec virtutum, quibus eam claruiſſe narrant Martyrologia. Immò penitùs ignoratur quod ſæculum ſuæ vitæ ſanctitate illuſtraverit. Atqui fieri potuit (antiqua licet interciderint acta) Virginem tot inſignem dotibus, & quam volunt ſpectabili gente natam in Provinciâ, adeò noſtris ignotam fuiſſe, ut ne indicium quidem ejus reliquium ſit nobis, atque Eccleſia Forojul. à priſcis temporibus S. Virginis Officium deſumat ex communi SS. Virginum non Martyrum; quia nil aliquâ firmatum tolerabili ratione traditum ſit, quod de illâ referri queat, præterquamquod in Martyrologiis legitur multis virtutibus claram & inſignem in pace quieviſſe.

III. Ita penitùs in plurimorum mente inſederat iſta ſuſpicio, *Maximam* quæ apud nos colitur fuiſſe externam, ut alii ex vicinitate locorum opinionem augurantes imaginati ſint, illam fuiſſe ſororem S. Torpetis M. qui in civitate Piſanâ primo Eccleſiæ ſæculo paſſus fuerat. Alii commenti ſunt *Maximam* noſtram non S. Torpeti, ſed S. Auguſtino germanitate fuiſſe conjunctam, & è cœnobio puellarum cui præerat huc tranſmigraſſe perſecutionis Vandalicæ quæ in Virgines Deo ſacras plurimùm ſæviebat, vitandæ causâ, quod tamen per ſe concidit, cum præter alia graviſſima momenta pateat ex Epiſc. ccxxi. S. Auguſt. ipſum ſorori ſuæ ſuperſtitem vixiſſe, ideóque eam ante perſecutionem Africanam, defunctam. Alii denique mihi prope accedentes opinati ſunt hanc cujus reliquias veneramur eſſe præclaram illam Afram *Maximam*, & in eo tantùmmodo inter nos diſſenſimus quod poſt ejus obitum ſacra oſſa ad oras noſtras tranſlata fuiſſe autumem; illi è contra velint eam ad nos (tranſmiſſo mare) adveniſſe cum ſacris Virginibus ſibi ſubditis ut Vandalorum Regis *Hunnerici* opprobriis & ſævitiæ ſe

ſubduceret. In quo hæc poſtrema opinio fallat, mox oſtendam. Id unum ſat mihi nunc ſit ex his omnibus colligere mirum & novum non videri debere meum de advenâ & Peregrinâ *Maximâ* excogitatum, cum in illo duces plurimos habeam & anteſignanos. Quæ quidem omnia invicem ſumpta, mihi ſat urgentia viſa ſunt argumenta, ut quam veneramur à multis ſæculis, non ex Provinciâ, ſed aliundè oriundam opinemur; atqui cum extra noſtram diœceſin unica duntaxat noſcatur Virgo & non Martyr nomine *Maxima*, Afræ ſcilicet, illa cujus cultum & ſacra oſſa nulla (ubicunque terrarum) peculiaris Eccleſia ſibi arrogat; non planè immeritò exinde infero *Maximam* cujus ortum & patriam intermediæ ætatis inſcitia Diœceſi Foroj. tribuit occaſione reliquiarum ejus, quæ ibi quieſcant, aliam neminem eſſe præter *Africanam* quam Virginem non Martyrem, qualem noſtram noſcimus & celebramus, omnia exhibent ſacra Diptycha; in quo eo favorabiliùs accepti ſumus, quia tantum *manu* nobis non natum, liberaliter cælitus nobis datum & collatum fuit.

IV. Non obſtat quod duæ cognomine

Virgines & diverſis diebus natales earum aſſignentur in Maryrologiis. *Ado* etenim qui primus aliis qui eum ſecuti ſunt, *Maximæ* noſtræ ad XVII. Kal. Jun. prodit memoriam illam ſicut & cæteros cœlites in ſuos faſtos refert, quales eos unaquæque Eccleſia noſcebat, & reverebatur; at quo tempore *Ado* opus ſuum conſtruebat, rerum ſuarum omnium ignorantiâ & chartarum penuriâ laborabat Eccleſia *Forojul.* ut conſtabit ex dicendis. Itaque edoctus *Ado* præclariſſimam fuiſſe apud Afros Virginem nomine *Maximam*, abſque alio examine, non illam eſſe putavit quam colebant tam diſſiti ab Africa Forojulienſes quos etiam, civitate tum eversâ, de rerum fide conſulere non poterat.

Jam quod attinet ad diem obitûs qui diverſis conſignatur diebus in SS. Diptychis hoc mero caſu factum eſt ut obſervarunt alii occaſione ſcilicet CCLXX Martyrum in Africa diu ante XVII. Kal. Nov. paſſorum quibus adjuncti ſunt *Martinianus*, *Saturianus*, & alii duo, omnes Germani fratres, Religionis Chriſtianæ inſignes teſtes & præcones cum eorum conſervâ, & fidei matre *Maximâ* quanquam

Digitized by Google

alia die & hi martyrium conſummaverint, & ipſa ad ſuperos evolaverit. Nos diem XVI. Maii quam ejus tranſlationis Reliquiarum anniverſariam credimus ejus honori dicatam habemus. At quo ſæculo quâ de causâ, & à quibus hæc tranſvectio facta? noſſe parvi intereſt, ſi de reipsâ conſtet. Attamen uti *Maximam* huc appuliſſe dum in vivis eſſet, parum eſt probabile, cum *Victor* cui (ut ipſe ait) *non ignota erat Virgo* pace Eccleſiæ Africanæ redditâ ſcribens de illâ tranſmarinâ peregrinatione omnino ſileat, ita quantum in facto tot ſæculorum intervallo à nobis remoto conjecturâ conſequi poſſum, exiſtimo *Maximam* in *Africâ* vitam expleviſſe & oſſa ejus exinde aſportata fuiſſe à noſtris Provincialibus in illâ regione negotiantibus, primumque navem quæ corpus venerandæ *Maximæ* vehebat applicuiſſe ad illam ſinûs *Sambracii* oram, cui ab omni vetuſtate nomen eſt S. *Maxima*. Quod nemini mirum eſſe debet, cum compertum ſit omnibus plurimorum SS. ſacra oſſa ſeu pretio empta, ſeu piâ Chriſtianorum induſtriâ genti barbaræ ablata ad Europam, ubi religioſè colerentur, ſæpiùs tranſlata fuiſſe. Auget conjec-

turæ pondus ulterior ripa ubi objacet pagus non aliâ de causâ San-Torpetum denominatus, niſi ob miram S. Torpetis, M. corporis è Piſanâ civitate ubi paſſus fuerat ad illud idem littus. Cur autem ex eo loco ad penitiorem oſſa B. *Maximæ* delata poſtmodum fuerint, ratio in promptu eſt. Cum etenim venerabile depoſitum Piratorum latrociniis & prædationibus inibi pateret, ac ipſum Forojulii ſæc. VIII. & IX. & clero & civibus viduatum eſſet *acerbitate Saracenorum non erant chartarum paginæ; alia teſtimonia aut vetuſtate conſumpta fuerant, aut igne perierant, nihil aliud tantùm niſi Epiſcopatûs ſolo nomine remanente.* Verba ſunt *Riculfi* Epiſc. ad *Willelmum* I. Comitem Provinciæ poſt medium ſæc. IX. regnantem. Hinc eſt quod ſinûs illius incolæ ſacra oſſa aliò ferenda eſſe præcavere, ut ab omni injuriâ tutarentur. Nullus pio & ſalubri conſilio opportunior locus vico non longè diſtanti *Calidiano* à potentibus Toparchis, illi & vicino tractus circa id tempus dominantibus; ejus namque ſitus ex omni parte abruptus editiorque, munimenta quæ operibus exaggerantur plane imitatur, impetumque & ſubita belli abnuit.

Digitized by Google

Verum quidem eſt poſteriori ætate è *Calidiano* ſacrum Virginis corpus Forumjulii (quo caſu neſcitur) tranſlatum fuiſſe ex qua civitate vi & armis illud anno M. D. XVII. extraxit & *Calidiano* reſtituit *Lud. de Graſſâ* magnus Provinciæ Seneſchallus & Prorector, ſuæ gentilis reliquias eſſe credulo animo occupatus. Cum quo tamen ſtat quod dum ſuum litteris mandaret Martyrologium Ado exeunte ſæc. D. CCCC. quo tempore ab imo ſumma proſtrata erant Forojulii, profecto *Calidiani* aſſervabantur S. Virginis oſſa. Ut quid enim Vicum aliàs ignobilem commemoraſſet, ſi non ibi ſed *Forojulii* ſuâ ætate fuiſſent recondita. Parcet Lector benevolus digreſſioni in gratiam præſtantiſſimæ Virginis ad quam eo fine diverti, ne diutiùs exprobaretur nobis Eccleſiam Forojul. honorare *quod neſcit*, & ut jam recognitam & manifeſtam dignioribus & pleniſſimis obſequiis deinceps celebrent Noſtrates re & nomine MAXIMAM. Eo nunc redeat unde digreſſa eſt de optimo fratre oratio.

Ipſius ſuper S. *Maximâ* Epiſtolam, alia ſubſecuta eſt: *De Tranſlatione Corporis S.*

Auxilii

Digitized by Google

Auxilii qui à Noſtris ſingulariter colitur, quam direxit ad virum Cl. *Ludovicum Thomaſſinum de Mazaugue*, Senatorem ampliſſimum litterarum & litteratorum fautorem & adjutorem meritiſſimum, cum quo vetus fratri meo intercedebat neceſſitudo, quam plura utriuſque in alterum officia ſummam effecerunt.

A pluribus jam diebus animo & cogitatione aliò ſe converterat, nempe in concinnatam à P. *Queſnello* emiſſionem operum S. *Leonis* M. cui quædam alia editor adjudicaverat, quæ paſſim S. *Proſpero* adſcribebat antiquitas. Videlicet *Libros de Vocatione omnium gentium*, *Capitula de Gratiâ*, *Epiſtolam ad Demetriadem*, & alia quædam. Novam illam *Queſnelli* molitionem chariſſimus frater, opinionum quæ à priſcis temporibus invaluerant tenaciſſimus, ægrè ac difficulter patiebatur. Anno tandem M. DC. LXXXIX. variorum mſſ. auctoritate, veterum omnium conſenſu, ſtyli maximâ cum genuinis Aquitanici ſcriptis, ſimilitudine, munitus, eadem opera *Proſpero* copioſis & diſertis diſputationibus eſt agreſſus reſtituere in Libro *de veris Operibus* SS. Leonis M. & Proſperi

& gloriam palmæ, probationum vi cedens *V. Cl. Lud. Ell. Dupinus* fratri meo mox detulerat, deinde *Queſnelli* & ejus amicorum queſtibus commotus calculum reduxit; ſeu non aliter forte opinatus eſt, ſed folium impreſſum in quo primas ei dederat, ſuſtulit, aliudque ſubjecit in quo *Queſnelli* cauſam potiorem eſſe affirmavit. Ad hanc inſtabilitatem Auctoris novæ Bibliothecæ Scriptorum Eccleſ. argumento certo eſt folium ipſum primò impreſſum, quod in manibus habeo, cujuſque vir bonus.... *Pralard* ejus Bibliopola, levitate hominis offenſus, fratri meo confidenter copiam fecit.

Symboli quod vulgò S. *Athanaſii* nuncupatur, novitii cujuſdam Auctoris animi fetum eſſe contenderat *Voſſius* & *Vigilio Tapſenſi* V. Cl. *Chifletius* & poſt eum *Queſnellus* aſſignaverant; optimus frater antiquiorem eſſe hanc fidei formulam validiſſimis argumentis demonſtravit & expoſuit contra *Voſſium* atque *Vincentio Lirinenſi* potiùs quàm *Vigilio Tapſenſi* tribui debere cenſuit. Brevem & eruditam de hac controverſia diſſertationem compoſuit anno MDCLXXXXIII. in re adeo incertâ (nec

enim pro indubitata eam habebat) illa ejus opinio gratiſſimè à viris litteratis fuit excepta, ac continuò in Sorbonæ ac Canonicorum Regularium S. *Genovefæ Pariſ.* Scholis propugnata. En de illa opera Auctoris Diarii Gallici rei litterariæ cenſura de die ſecunda Februarii ejuſdem anni. *Le ſiſtême de Monſieur l'Abbé Antelmy tout nouveau qu'il eſt, eſt établi ſur des raiſons tres-ſolides, & il en fournit auſſi qui ſont plus que ſuffiſantes pour répondre aux difficultez que l'on peut luy oppoſer; & s'il ne faut que cette aſſurance à cet Auteur pour l'obliger à donner au public de pareilles remarques qu'il fait eſperer ſur le Simbole des Apôtres, on peut luy répondre qu'il ne les donnera jamais aſſez tôt qu'on les ſouhaite.*

Huic opuſculo aliud haud inferiùs adjecit de S. *Martini Turonenſis Epiſcopi obitûs anno*, quem eo ſucceſſu præfinivit, ut conſtitutam ab ipſo hujus eventûs epocham, quæ obſcuræ hiſtoriæ Francorum tempora illuſtrat, omninò ſecuti fuerint eruditiſſimi PP. Benedictini San-Germanenſes in vita S. *Hilarii Pictavienſis*, quam ejus operum editioni propoſuerunt.

Ampliora commentabatur & meditaba-

tur Opera quæ Hiſtoriam Eccleſiaſticam maximè ornaſſent; at per eum non ſtetit quominùs inſtitutâ uſque ad extremum proſecutus fuerit. Verum ut erat ingenio acer & in rebus agendis & gerendis exercitatus initio anni MDCLXXXXIV. ſuaſu R. P. *de la Chaize*, cujus prælectiones Theologicas Lugduni audierat, quique ſuum ex tunc ei amorem conceſſerat, Vicarius Generalis & Officialis deligitur ab Ill. *J. B. de Verthamon, Epiſcopo Appamienſi*, ubi primùm inauguratus fuit. Onus quidem graviſſimum pro diſſidiis in illa Diœceſi occaſione Regaliæ à longo tempore graſſantibus, at non impar Joſ. Antelmii humeris, uti probavit eventus; ſuavi namque ſua agendi ratione, ingeniique dexteritate, diſcordes animos brevi ſibi conciliavit; mox mandatis ſapientibus, ſcriptis quandoque eruditiſſimis quæ decreverat confirmans, è re natâ peritus mira commoda capere, quæ erant inverſa perturbataque in ordinem citò adduxit, ac controverſias XIV. annorum paucis menſibus ante adventum Præſulis in Diœceſin ſedavit atque compoſuit.

Fratrem non decet curioſiùs ea perſequi quæ peregit frater ardua & laude digna in

S. EUCHERIO.

1. EX NOBILISSIMO SENATORUM ORDINE — 1. S. Hilar. or. Fun. S Honor. Florus. Acta conv. Martyr.

ORIUNDO.

2. GALLÆ SANCTÆ ET INLUST. FOEMINÆ — 2 S. Paulin. Nol. ep. 51. acta.

SPONSO.

3. SS. ADMIRANDISSIMOR. JUVENUM, ET EPISCOPOR. — 3 Eucher. Salv. Hilar. in ep.

SALONII, AC VERANI,

4 SSQ. VIRGINUM TULLIÆ, ET CONSORTIÆ — 4 Acta conv. Ado.

PARENTI.

5 TERRÆ DISPUENTI, COELI APPETENTI: — 5. Mamer. v. l. 2. c. 9. de ſtat

PROPTEREAQ; 6 RELICTIS OMNIB. ET IN PAUPERES CONL. — an. 6. Flor. Ado, Act.

AD RELIGIOSAM VITAM HABITUMQ;

7 CONVERSO. — 7. Iidem ibid.

ET CUM 8 CONJUGE, UTI CUM SORORE, DEINCEPS — 8. Paulin. ep cit. Act.

CONVERSATO.

PRIM. LIRINENSIS CONGREGATIONIS

9 ALUMNO. — 9. Breviar. Lirin.

MOX 10 LERONIS, CUM SPONSA, ET BEATISS. PROGENIE — 10. Paulin ep cit. Hilar. or. Fun.

CULTORI.

INDE IN 11 ADTIGUI MONTIS SPELUNCA — 11. Acta vindic. Flor. Uſuard

RETRUSO.

12 SECRETORUMQ; LIRINENS. ASSIDUO POSTHAC — 12. Ibid.

HABITATORI,

13 LUCULENTISSIMO PRÆCONI: — 13. Iſidor. de vir. Illuſt. c. 15 Euch. de laude Eremi.

SED REMOTAS ETIAM 14 ÆGYPTI SOLITUDINES — 14 Caſſian. Præf. ad col. 11

(ADINSTAR 15 CASTISSIMI TURTURIS) — 15. Id. ibid.

TRANSVOLARE MEDITANTI.

16 SUBLIMIUM ILLOR. ANACHORETARUM DICTA, — 16. Ibid. & coll. 18. c. 1.

FACTAQ; SCRIBI CURANTI.

S. HONORATI 17 INSULAR. PATRIS, ECCLESIAR. MAGIST. — 17. Euch. ep. ad Salon.

18 VIRTUTIS ÆMULO. — 18. Hilar: or. Fun.

19. SS. PAULINI, HILARII, SALVIANI, VINCENTII, — 19. Ex variis illor. lib. & ep.

CASSIANI, RUSTICI MAMERTI, SIDONII, ISIDORI, &c.

OFFICIIS, NECESSITUDINE, ADMIRATIONE
CULTO, CELEBRATO, DECANTATO.
20 EPISCOPO LUGDUNENSI, SUI NOMINIS,

21 UNICO.

22 EX ANGEL. REVELATIONE, POST TRID. JEJUNIUM
DESIGNATO, ET INDICATO.
ET E SPECU. 23 IN PONTIFIC. CATHEDRA SOLEMNITER
COLLOCATO.
24 VERE SANCTO, ET AMICO DEI
25 BEATISSIMO.
26 IN NOVO HONORE, 27 SPIRITU HUMILI, 28. MENTE,
ET BENIGNITATE, SINGULARI.
29 MONACHORUM ALTERIUS INSULÆ
FAUTORI, NUTRITORI. CONVICTORI.
30 RECLUSORUM INSTITUTORI.
31. STILITARUM ÆMULATORI.
32 BASILICÆ SS. APOSTOLORUM CONDITORI.
33 MARTYRUM COELITUMQ; POPULAR. CULTUS
PROPAGATORI.
34 ADMIRANDÆ FIDEI, ET DOCTRINÆ

VIRO.

IN 35 OPUSCULO, AD HILARIUM NECESSARIUM SUUM,
36 EREMI DESERTA REPETENTEM,
37 EJUSDEM EREMI LAUDEM, ET AMOREM
38 BONIS HOMINIBUS DULCITER
INSINUANTI.
IN EPISTOLA, AD VALERIANUM 39 PROPINQUUM,
40 SCHOLASTICO SERMONE CONSCRIPTA,
OMNES, 41 AD MUNDI CONTEMTUM, FORTITER
42 SOLLICITANTI.
IN 43 LIBRIS, AD SALONIUM, ET VERANUM FILIOS,
44 STILO BREVIBUS, DOCTRINA UBERIBUS,
LECTIONE EXPEDITIS, INSTRUCTIONE PERFECTIS.
45 FLORULENTIS, 46 MENTI, AC PIETATI PARIBUS,

20. omn. Hiſtor. monum.
21. Ex docum. in Aſſert. congeſtis, &c.
22. Flor. Uſu. Ado, Act.
23. Ibid.
24. Ruſticus ep. ad Eucher.
25. Hilar. ep. ad Eucher.
26. Salv. ep. ad Euch.
27. Mamer. 28. Salv. ibid.
29. Eucher. ep. ad Philon. Ab. inſulæ Barbaræ.
30. Trad. & Hiſt. Ecc. Lugd.
31. Euch. ep. ad Phil.
32. Lug. Ecc. Tab.
33. Euch. hom. de ss. Epip. & Alex. & alibi paſſim. Act. MM. Theb.
34 Martyrologia.
35 Iſidor. cat. c. 15.
36 Idem Sidon. Euch. ad Fauſtum. 37. Iſid. ibid.
38 Euch. de lau. Erem.
39 Euch. ib. Gen. cat. c. 36.
40 Id. ibid.
41 Argum. epiſt.
42 Sidon. epiſt. 3. l. 4.
43 Form. Spirit. int.
44 Salv. ep. ad Euch.
45 Hilar. ep. ad Euch.

47 OBSCURA QUÆQUE SS. SCRIPTURARUM
CAPITULA MIRABILITER,
48 EX ILLUSTRIUM DOCTORUM JUDICIO,
INTERPRETANTI.
IN 49 EDITIS, AD REM FIDEI, 50 MONASTICAVE, ET
ECCLESIAST. STUDIA NECESSARIIS,
51 MULTIJUGIS VARIORUM OPERUM VOLUMINIBUS,
52 COMMISSOS SIBI HOMINES, ET ALIOS QUOSVIS,
ET, SECUNDUM SPIRITUM,
IMBUENTI,
ET SECUNDUM LITERAM,
PERDOCENTI:
ET 53 QUOD SIC PERDOCUIT POSTEROS, IN POSTERUM
PRÆDICANDO.
54 MAGISTRO 55 EGREGIO 56 CONCIONATORI VERIDICO,
57 SCIENTIÆ PLENO, ELOQUII PROFLUO, 58 SENTENTIIS
ELEGANTI, VERBIS ORNATO, 59 MERITIS ARDUO,
INGENII SUBLIMISSIMO, 60 ECCLESIÆ PATRI,
61 DISCIPLINÆ VINDICI, 62 GRATIÆ DEI ASSERTORI.
63 MAGNOR. ÆVI SUI PONTIFICUM LONGE
MAXIMO.
LUGDUNENSIUM, POST BEATISS. MARTYRES.
64 PRÆCIPUO.
CAR. ANTELMIUS, EX EJUS CLERO ECCLESIÆ,
(QUÆ EUM PRIMO 65 VENIENTEM ULNIS SUIS RECEPIT;
QUÆ IN SPELUNCA RETRUSUM 66 DIU SERVAVIT:
QUÆ AD INFULAS RAPTUM 67 VOTIS PROSECUTA EST FIDEL:
QUÆ AD COELOS VOCATUM 68 UT INDIGENAM, COLIT:
QUÆ MINUTULAS EJUS CORPORIS EXUVIAS 69 OLIM SUSCEPIT:
QUÆ PRÆCIPUAS INGENII OPES 70 NUPER REFUDIT.)
ET IN PRISCAR. NECESSITUDINUM RECORDATIONEM,
NOVA OBSEQUIA REVERENTER VOVENS
HÆC SPLENDIDA GLORIÆ LAUDUMQ. MONIMENTA
IN 71 SUPPOSITIUM, EX PARTE, TRANSCRIPTA
SOLI, AC VERO PATRONO,
72 OMNIUM CHRISTIANORUM ORE ET AMORE

46 Salv. 47 Gennad. c. 63.
48 Euch. in præf.
49 Mamer. loc. cit.
50 Gennad. ibid.
51. Mam. ibid.
52 Agræcius ep. ad Eucher. de ort.
53. Ruſtic. epiſc. ad Euch.
54 Euch. ep. ad veran. 55 Ff. 56 Mam. ib 57. id. 58. Iſid.
59. Mam.
60. Ex lib. orth doct. refert.
61. Ex Actis conc. Arauſ. 2 &c. 62. Gen. c. 63. P. Dam. ep. 63. Mam. ibid.
64 Auct. vitæ s. Capr. Lirin.
65 Eucher. de lau. Er.
66. Acta vindic. &c.
67. Ex v. geſ. s. Max. Reſ.
68. Diptych. & litan. For. Jul. Ec. 69. ibid.
70 Lib. de laud. Erem. curante Franc. Boller. Ep. Forojul. prim. edit. Par. an. 1592.
71. Ita Baron. Th. Rayn. & alii, qui duos Eucherios ſtatueb.
72. Ruſtic. ep. ad Eucher.

Digitized by Google

CELEBRANDO.
POSTLIMINIO ASSERIT, VINDICAT, CONSECRAT,
ANNO POST EJUS, A NOSTRIS, DISCESSUM.
M. CC. LXXXXV.
A REPARATA SAL. M. DCC. XXVI.

Aſſertionis Capitum Elenchus.

SECTIO I. S. *Cæſarii* vitæ acta interpolata eſſe demonſtrantur, in his, quæ ad juniorem *Eucherium* adſtruendum, conficiunt.

SECT. II. S. *Eucherii*, quæ circumfertur, converſionis hiſtoria, ſubjectione & metachroniſmis laborat, circa illa quæ junioris *Eucherii* tempus reſpiciunt. Ea vero manifeſtè ſeniorem reclamant.

SECT. III. Varia Galliarum Concilia vr. ſæculo habita, & *Eucherii* nomine ſignata, Epiſcopum à Lugdunenſi longè diverſum produnt.

SECT. IV. Teſtimoniorum ac Teſtium probatorum recenſio, quibus unicus tantum *Eucherius* aſſertus & cognitus fuiſſe perhibetur.

SECTIO V. Etſi duos *Eucherios* Cathedram Lugdunenſem occupaſſe liqueret, ſenior tamen *Eucherius*, ex his quæ de illo certiſſimè conſtant, potiùs reputandus eſſet ſpeluncæ inquilinus, quàm junior alter, cujus omnia, ex Actis mox vindicatis, incerta eſſent.

SECT. VI. *Eucheriana* Converſionis hiſtoria *Eucherio* juniori perperam aptata, ex genuinis & præcipuis ejus capitibus, tota penitùs in ſeniorem refertur.

SECT. VII. Specus *Eucheriana* poſitio in adtiguo Lirinenſibus inſulis Monte, multis argumentis & ſinceriſſimis ex indicibus ac terminis nuper exploratis, figitur.

SECT. VIII. *Verani & Salonii*, *Eucherii* Filiorum, nec non *Conſortia* Filiæ acta illuſtrantur.

SECT. IX In plurima *Eucherii* vitæ geſta & ingenii monumenta prolixior inveſtigatio. Epiſcoporum Lugdun. Series reſtituta.

SECTIO X Chronologia *Eucheriana* accuratiſſima.

SECT. XI. Appendix *Car. Antelmii* ad Aſſertionem.

ea quam ſuſceperat Provincia. *Stet omne* ſuper hac re *verbum*, ſi fas eſt dictu, *in ore duorum aut trium teſtium*, ſed gravium & Religioſorum, quorum unus literas dedit paulò poſt adeptum à fratre meo regimen Diœceſeos, alter paulò ante dimiſſum, tertius poſt ejus è vita diſceſſum.

Primum exhibeo R. P. *de la Chaize Ludovici* Magni à confeſſionibus, qui non levem (ut omnes norunt) negotiis Eccleſiaſticis navabat operam. Quantam lætitiam ex prudenti & conſiderata adminiſtratione Eccleſiæ Appamienſis perceperit, his diſertis verbis ei ſignificat. *Il n'y a rien de ſi conſolant, Monſieur, que tout ce qui me revient de votre prudente & vertueuſe conduite, dans un Dioceſe où n'ayant trouvé que du deſordre, vous avez mis la paix avec tant de benediction du Ciel & tant de ſçavoir-faire. Sa Majeſté à qui j'en ai rendu compte, en a été très-contente & très-edifiée. Je crois que vous aurez bientôt M. votre Evêque, qui aura bien de la conſolation de trouver cette paix que vous avez ſi bien & ſi heureuſement établie. On ne peut agir plus canoniquement que vous avez fait dans un Diocèſe ſi plein de troubles, &c. A Paris, le* 12. *May* 1694.

Alterum profero illuſtr. *Carolum de la Berchere* multis literis & virtutum ornamentis inſignem Archiepiſcopum tunc Albienſem qui circa finem anni M. DC. LXXXXVI. de Vicario Generali Appamienſi hæc polita & honorifica verba ſcripſit ad R. P. *de la Chaize. M. l'Abbe* Antelmy *ne ſe croyant plus neceſſaire au Dioceſe de Pamiers, puiſque le Prelat eſt en état d'agir par ſoi-même, ſonge à ſe retirer en Provence. Il a gagné les cœurs de tout le monde au Dioceſe où il s'étoit prêté. Et ſon amour pour l'etude ne le detournant en rien de l'application aux affaires qu'il manioit, il n'a paru qu'il aime la ſcience que par le bon uſage qu'il en a fait très à propos dans les occaſions difficiles où un ſçavoir & une habileté mediocres n'auroient ſuffi pour remplir les devoirs de ſon état.*

Dum interea variis & gravibus negotiis diſtineretur & nihilominùs ſubſecivis horis indulgeret ſcriptionibus & commentationibus, adverſante licet debili corporis habitudine, cui nullis laxamentis conſulebat, valetudinem ſuam citiùs confecit ac perdidit. Quocirca familiarium hortatu *Forojulium* incunte anno MDCLXXXXVII

repetiit ut natali cælo, ac *lactè quod eſt ibi*, ut obſervat *Plinius Jun. pulmonis* quo afficiebatur *curationibus accommodatiſſimum* ſe reficeret; ſed adeò morbus tum ingraveſcere cœperat, ut vires redintegrari & reſumi, nullis remediis aut allevamentis unquam potuerint. Percipiens ipſe ſingulis illas diebus decreſcere & ſenſim abſumi, duobus ante interitum menſibus, domeſticis rebus providit ac deinceps ad extremum uſque halitum ſolis divinis vacavit, præclara patientiæ, pietatis & fidei præbens adſtantibus exempla. Obiit Forojulii die XXI. Junii anno MDCLXXXXVII. ætatis IL. cum natus eſſet die XXV. Julii MDCIIL.

Apud quàm plures ſcientiâ, honorum gradibus & virtute inſignes homines exiſtimationem & nomen ſibi aſciverat. Inter illos primum locum obtinent, S. R. E. Cardinales Eminent. *Hieron. Grimaldus* Archiep. Aquenſis, cui operum primitias dicaverat ſuam *de Initiis Eccleſiæ Forojul.* hiſtoriam, *Hieron. Caſanata* & *Henricus de Noris* qui eum plurimis literis benevolentiam ſignificantibus cohoneſtaverant. Amicitiæ & ſtudiorum vinculo conjuncti illi

quoque erant Viri Clariſſimi & Eruditiſſimi, Abbas *de Longueruë*, *Steph. Baluſius*, *Ad. Baillet*, *Ant. Pagius*, *Joan. Cabaſſutius*, &c. Quos omnes & antiquiori & juſtiori neceſſitudine Diœceſanus noſter *Lud. Morerius* præiverat, de quo ipſe eſt teſtis locuples in multis eum ſui Dictionarii Hiſtorici locis commendans, in mutui amoris indicium & pignus. Magnum ſui deſiderium apud ſui ſuperſtites familiares reliquit moriens, maximum apud Appamienſes quibus egregia prudentiæ, probitatis & virtutis experimenta dederat. Unus pro omnibus audiatur teſtis certiſſimus cujus nihil intererat rei dudum actæ modum excedere. V. Cl. *Breal*, Ill. Epiſcopi Appamienſis Vicarius Generalis. Is duodecim poſt fratris mei deceſſum annis, hæc ad me quem nuſquam noverat ſcripſit de illo. *La memoire de M. l'Abbé Antelmy votre frere ſera éternelle en ce pays; on parle & on parlera toûjours de ſon merite & de tout le bien qu'il a fait dans ce Dioceſe; je n'en ai pas eté le témoin, parce que je ne ſuis ici que depuis peu; mais j'en ai oüi parler d'une maniere ſi avantageuſe, qu'il n'eſt pas permis d'en douter. Des perſonnes de*

cette

cette maniere ne devroient jamais mourir &c. à Pamiers ce 3. *May* 1709. Cui cum reſcripſiſſem iſta repoſuit.

Je puis dire, Monſieur, ſans exageration, que votre lettre à réjoüi toute la Ville de Pamiers & tout le Dioceſe; feu Monſieur votre frere y vivra toûjours; & plus je vais en avant & plus j'apprens de bien d'une perſonne auſſi diſtinguée qu'il l'étoit, qu'on peut dire avoir remis ce Dioceſe, y avoir reduit les eſprits les plus difficiles, & qui y devoit reſter toûjours pour la conſolation de tous. Dieu l'a enlevé de ce monde; & je puis dire qu'il a laiſſé par ſa mort tout ce Dioceſe dans la douleur. à Pamiers, du 10. *Juillet* 1709.

Quod eſt maximè conſentaneum cum litterâ quam audito de mei fratris obitûs nuntio, protinus accepi, à R. P. *de la Chaize*, ut de meo luctu mœrorem ſuum mihi teſtaretur. In illa enim virtutem ejus his verbis glorioſè prædicat. *J'eſtimois & honorois particulierement ſa vertu, ſa capacité & ſon Zele pour l'Egliſe qui perdoit en lui un deffenſeur courageux & éclairé. Sa memoire me ſera toûjours très-chere &c. à Paris, ce* 27. *Juin* 1697.

Digitized by Google

Alia omtto quæ de illo ad manum ſunt, honorifica teſtimonia, ne prolixior ſim & legenti tædio?

Quod attinet ad ejus ingenii monumenta, jam ordine recenſuimus ea quæ dum in vivis eſſet edidit; quæ moliebatur iſta ſunt.

De periculis Canonicorum Tractatus.

Opera S. Proſperi Aquitanici *ad plurimorum mſſ fidem collata.*

Hiſtoria Eccleſiæ Forojulienſis, *totiuſque Diœceſis.*

Secreta Lirinenſium, ſeu Thebais Lirino-Forojulienſis. Illud opus univerſam hiſtoriam celeberrimi illius Monaſterii à primis ejus incunabilis ad hæc uſque tempora complexurum erat.

De Symbolo Apoſtolorum Diatriba *Annales Eccleſiaſtici Galliarum, ab initiis ſuſceptæ fidei in Galliis, uſque ad annum quo Annales Eccleſiaſtici Francorum Cl. V. Car. le Cointe, incipiunt.*

De Tranſlatione Corporis B. Dilectricis in Appamienſi Diœceſi celebris.

De S. Antonino *Appamienſium Epiſcopo.*
Inquiſitio in Patriam Caſſiani.

Quoties optimi fratris volvo commen-

tarios; toties meus recrudeſcit dolor de ejus interitu qui ſecum traxit tot inſignium jacturam operum. Ut enim per vitam adeò brevem exorſa retexere, illi non licuit, nec mihi tum alio diſtento, tum altioribus litteris non ſat idoneo, fas fuit illa perſequi, ac emittere; præter hanc *de Unico* Eucherio *Lugd. Epiſcopo*, *Aſſertionem*, quam in illius adverſariis, ſuis omnibus numeris abſolutam reperi.

Iterùm hic admonendus Lector, primum hujuſce Præfationis folium typis mandatum fuiſſe, quando theſauri novi Anecdotorum V. *Cl. Edm. Martene*, O. B. volvens tomum IV. incidi in Concilium Regienſe quod hactenus ineditum putabam; ſtatim ac feriit oculos, meum apographum emittere, & rem actam rursùs aggredi habui ſupervacuum. Verum collatis exemplaribus, protinus adverti in eo quo uſus eſt Vir eruditus, loca ineſſe pleraque alia vacua, alia queis nulla ſubjecta eſt notio. Exemplo ſint iſta verba can. XVII. *als* XX. *Cum ex præcepto divino Eccleſiæ Decimæ Maximæ .... Eccleſiis debebantur*, *ut ſint nonnulli eas in propriæ ſalutis interitum ſolvere non ceſſantes ſtatuimus*, *&c.* At (quod notabilius eſt) in

illo deſunt tria hujuſce Concilii Capitula inſignia, nempe VII. VIII. & IX. nam XX. tantùm exhibet, tametſi aliundè quàm ex exemplari Foroj. conſtet fuiſſe condita XXIII. Quæ rimæ omnes cum ex noſtro omninò expleantur & mendæ expurgentur operæ pretium duxi Concilium iſtud bis mancum & vitioſum, malá ſortè vulgatum, gratiori tandem luce integrum perfectumque donari.

ASSERTIO

ASSERTIO
PRO UNICO
EUCHERIO
LUGDUNENSI
EPISCOPO.

INTER eas diſputationes quibus ſtudioſorum ingenia exercentur, locum non poſtremum illa ſibi meritò vindicat quæ inquirit : *an unus* Eucherius, *vel duo, Lugdunenſem Cathedram occuparint?* ſeu, ſi poſt magnum, & omnibus notum ac reverendum hujus nominis Epiſcopum qui circa medium V. ſæculi Lugduni floruit, alter minor & ignotior *Eucherius* eamdem Eccleſiam poſt annos circiter LXX.

Digitized by Google

rexerit? De quo argumento, cum nuper in quodam Literatorum cœtu, quæſtio inſtaurata fuiſſet, à multis improbatum audivi, quod alibi fidem obligarim, unicum *Eucherium* reſtituere, & alterum, ut conſequens erat, eliminare. Quare ſententiam rogatus, quam iſti aliam tum putabant, ab eâ quam olim me daturum ſpoponderam, momenta coram explicavi, quibus in hac αἱρέσει fuerim, & in eâ perſeverare deinceps deſtinabam. Tunc enim commodum accidit, ut paulò antea Lirino reverſus, alia etiam, in hoc poſtremo excurſu, ad hanc rem, obſervaſſem, quæ ſimul ac in medium adduxi, omnium penè animos antea refragantes in partes noſtras aut inclinarunt, aut omnino retraxerunt. Nam & iſti negotium omne in propatulo poſitum conclamantes, ab aliis quotquot approbandum, atque ſuſcipiendum eſſe prænuntiarunt; ſi quæ in privato colloquio ventilaveram, ſcripto committere non gravarer. Quidni! eiſdem hac rerum evidentiâ perculſis placuit, ut hoc noſtrum qualecumque lucubrationis, quod vel *diſquiſitionem*, vel *conjecturas*, aut *vindicias* inſcripſiſſem, incunctanter, & abſolutè præferret. *Aſſertio pro unico* Eucherio *Ep. Lugd.* Quamobrem cum id omne quod ſponderet, ac oſtentaret epigraphes, opella, expleret, ea enim verò nullo alio congruo titulo deſignanda erat. Quod ſane præmonere conſentaneum duxi, ut mi-

nus fortè verecundæ locutionis notam abs me deprecarer, cujus alii periculum, vel invidiam omnem in ſe tranſtuliſſent. Illorum itaquè cenſeatur inſcriptio; quæ reſidua ſunt, mea ſunt, quæ non modò Lectoris judicio non ſubtraho, ſed iterum iterumquè ſuppoſita volo. Sic igitur diſputationem aperire viſum.

Quæ recens emerſit de gemino *Eucherio* ſententia in quam penè omnium ſufragia conceſſerunt, tribus potiſſimum argumentis innititur, quæ primùm rimatus eſt, & copioſiſſimè more ſuo præ cæteris exageravit *Theophilus Rainaldus* è S. J. in SS. Lugdunenſium indiculo. Ejus autem rationibus eò quòd ſe non fateatur abreptum *Aub. Miræus*, magnoſque viros adhuc in unico Eucherio Lugdun. ſtatuendo perſiſtere ſcribat; graviùs forſan queſtus eſt *Phil. Labbeus*, quam adeò æquum, & maturum criticum decuiſſet Rem per ſingula diſcutiamus. Rationum itaquè quibus junior *Eucherius* Lugdunenſium Epiſcoporum catalogo noviſſimè inſcribitur. Prima petitur ex vitæ actis *S. Cæſarii* Arelatenſis qui ab incunte VI. ſæculo, uſque ad ejus medietatem, hanc Eccleſiam gubernavit, habuiſſeque in iis legitur *S. Eucherium* Lugdunenſem Epiſcopum diſciplinæ alumnum; & itinerum ſocium. II. ex vitæ *S. Eucherii* ſeu converſionis illius hiſtoriâ miniſtratur, ubi filias habuiſſe legitur ſub ejuſdem ſæculi VI. finem ſuperſtites. Quæ duo jam

Diſſert. ad ſcript. Eccl. Bellarm.

in Eucherium Lirinenſem concurrere nequeunt ab ipſo V. ſæculi initio forſan converſum. III. non tam ratio quam duorum priorum conſectarium cenſeri debet, quo ex actis Conciliorum hujus VI. ſæculi quibus Eucherii nomen præfixum eſt, alter *Eucherius* ad memoratas periochas revocatur, & unum ex altero ſequi contenditur; adeò ut ſi conſiſtat junior *Eucherius*, alius ab eo eſſe non debeat, cujus illa Concilia ſuſcriptionem repræſentant. Undè tria hæc invicem conſpirare videntur ad alterius *Eucherii* fortunam poſtliminio reſtituendam ac vindicandam. Utrum verò hæc tria, per ſe ſeorſim valere poſſint, pluribus expendemus, & triplici velut funiculo quamvis colligata, favente Numine viriliter diſſolvemus. Quod poſtquam executi erimus. Jam tum *Eucherii* junioris nomine, fortunaque diſjunctis, in magni & unici *Eucherii*, ſortem, profeſſionem, res geſtas, aut ſcriptas, aliaquè ad eum quomodocumquè ſpectantia fuſius inquiremus. His verò ſingulis, ut debitus ordo preſcribatur in ſectiones X operæ ſummam diſtribuimus quarum hæc erunt argumenta.

I. *S. Cæſarii* vitæ acta interpolata eſſe demonſtrantur in his quæ ad juniorem *Eucherium* adſtruendum conficiunt.

II. *S. Eucherii* quæ circumfertur converſionis hiſtoria ſubjectione, & metachroniſmi

laborat, circa illa quæ junioris *Eucherii* tempus reſpiciunt, ea verò congruè ad ſeniorem referuntur.

III. Varia Galliarum Concilia VI. ſæculo habita, & *Eucherii* nomine ſignata, Epiſcopum alium à Lugdunenſi produnt.

IV. Teſtimoniorum, ac teſtium probatorum recenſio, quibus unicus tantum *Eucherius* aſſertus & cognitus fuiſſe perhibetur.

V. Etſi duos *Eucherios* Cathedram Lugdunenſem occupaſſe liqueret, ſenior tamen *Eucherius* ex his quæ de illo certiſſimè conſtant, potius reputandus eſſet ſpeluncæ inquilinus, quam alter cujus omnia incerta eſſent.

VI. *Eucherianæ* converſionis hiſtoria *Eucherio* juniori perperam aptata ex genuinis, & præcipuis ejus capitibus tota penitùs in ſeniorem refertur, atque reſtituitur.

VII. Specus *Eucherianæ* poſitio in adtiguo Lirinenſibus Inſulis monte multis argumentis, & ſinceriſſimis ex indicibus, ac monumentis figitur.

VIII. *Verani & Salonii Eucherii* Filiorum, nec non *Conſortiæ* filiæ acta illuſtrantur.

IX. In plurima *Eucherii* vitæ geſta & ingenii monumenta prolixior inveſtigatio Epiſcoporum Lugdunenſium ſeries reſtituta.

X. Chronologia *Eucheriana* accuratiſſima.

Digitized by Google

SECTIO I.

S. Cæſarii *vitæ acta interpolata eſſe demonſtrantur in his quæ ad juniorem Eucherium adſtruendum conſiiunt.*

S. Cæſarii vitæ acta nil ad *Eucherium* juniorem conficiunt

QUod primò itaquè ad Cæſarii vitam ſpectat hæcquidem fidelis τῦ συγχρόνῦ partus agnoſcitur *Cypriani* videlicet Tolonenſis Epiſcopi qui illius diſcipulatu gloriatur, cujuſque iſta de *Eucherio* Lugdunenſi aſſertio eſt: *Cum aliquando circa alpes iter ageret* S. Cæſarius *vir venerabilis* S. Eucherius (*Lugdunenſis*) *Epiſcopus cum illo erat. Accedit tum, ut in mediâ viâ, infelix, & morbida mulier eis occurreret manibus, & pedibus contractis per terram reptans quam cum eſſet intuitus* B. Cæſarius *interrogavit* S. Eucherium, *quid hoc eſſet, quod illa per terram ità ſe traheret?* Eucherius *interrogat fœminam, illa reſpondit, ſe multis annis membris omnibus fuiſſe contractam.* B. Cæſarius *dixit* S. Eucherio *deſcende, & conſigna eam: illo quaſi trepidante & excuſante ſeſe,* Cæſarius *inſtat, & urget: tandem* Eucherius *deſcendit, & conſignat eam: atquè ecce feci quod juſſiſti; Dixit ei* Cæſarius, *extentâ manu apprehende manum illius & erige eam: ille reſpondit: quidquid aliud juſſeris non recuſabit* Eucherius *tuus: iſtud ut faciam adduci non potero: tuum eſt hoc facere, cui Deus præſ-*

titit gratiam, & animos, & corpora languentium curandi: Cæſarius *ait*: *tu interìm facito quod dico: illo planè renitente, & cum multâ modeſtiâ, & lachrymis ſeſe excuſante, diuque facere detrectante*, Cæſarius *dixit: tunc obedientiæ causâ in ignem ingreſſurus es, qui nec miſericordiâ adduci potes ut facias, quod charitas jubet? Mitte in nomine Domini manum tuam & erige eam: tum ille obediens. Porrigit fœminæ manum, & ſublevat eam: illa verò mox integrè ſanata abiit ad hoſpitiolum ſuum.* Hæc *Cyprianus* piarum forſan hujuſmodi concertationum teſtis, conſtat verò ex *Meſſiano* Arelatenſis Eccleſiæ preſbytero qui Cæſarii magiſtri ſui hiſtoriam continuavit, B. Præſulem per annos XL. ſediſſe & LXXIII. ætatis ſuæ annum agentem ad ſuperos vocatum. Ex quibus rectâ chronologiæ putatione deducit, purpurâ minùs quam nomine notus Eminentiſſ. A. *Noriſius*, *Cæſarium* anno DIII. factum Arelatenſem Epiſcopum uſquè ad VI. Kal. Septemb. anni XLIII. conſequentis fuiſſe ſuperſtitem: à quo etiam alii nonniſi uno vel altero anno diſſentiunt chronologi: undè neceſſariò *Eucherii* junioris adminiſtratio inter has epochas conſcribenda erit: quandoquidem à ſeniore *Eucherio* antè annos XC. mortalitate exuto nimiùm alienæ perhibentur: nam inter ipſum, ac *Eucherium Cæſarii* diſcipulum, tres aut quatuor medii fuerunt in Cathedra Lugdunenſi Pontifices.

II. Excutitur primum argumentum è vitâ S. Cæſarii ductum.

Hiſt. Pelag. l. 2. c. 22.

Ad illud reſpondet *Chifletius*.

Ad argumentum ex narrationis iſtius fide petitum *Pet. Fr. Chiffletius*, è Soc. Jeſu Theologus, nec infimi ſubſellii Criticus qui primus poſt aſſertas ab aliis *Eucherio* II. Lugdunenſes infulas, eumdem è medio tollere aggreſſus eſt, plura in ſuo Paulino illuſtrato reponit, quæ, ne graculi more pennulas pavoni decidentes

Cit. lib. c. 21. ſubſtuliſſe, videamur, auctori ſuo ante omnia, reddimus. Ait itaquè primum, *ſe olim per litteras à Sirmondo ſuo admonitum, viſa à ſe quædam exemplaria vitæ* S. Cæſarii *eaque pervetuſta, ac bonæ notæ in quibus* Eucherius *ille minimè aſſeritur* Lugdunenſis Epiſcopus: *ut ſuſpicio ſit recentioris hallucinatione, fuiſſe has duas voces* Cypriani *antiquo textui illigatas quamquam ne heic quidem hallucinatio ſit, ſi per uſitatiſſimam hiſtoricis prolepſim* (uti ex dicendis probabile fiet) *certo conſilio ſunt adjectæ.* II. Hinc exiſtimat laudatus auctor *Eucherium* hunc *Cæſarii* comitem cenſeri poſſe *Etherium* Epiſcopum Lugdunenſem quem conſtat à *Benigniano & Beſuenſi* Chronographis, forſitan, & ab his priore *Fredegario Eucherium* fuiſſe nuncupatum: quod ne cui incredibile appareat obſervandum objicit, quo flexu *Cyprianus* referat *Eucherio Cæſarium* locutum, quæ certè Epiſcopi ad Epiſcopum dignitate, graduque parem (quales erant Arelatenſis & Lugdunens) ſi verba & increpationes cenſeri non poſſe ipſe rectè judicat, noſque pluribus expendemus III. ex iſtis concludit vir doctus

Eucherium

Eucherium Lugd. Priſci ſucceſſorem, qui anno DXXCIX. interfuit Pictavienſi Synodo, potuiſſe anno DXL. Cæſarii Epiſcopi viæ comitem aſtare, cum ipſe jam eſſet annorum ætatis octodecim: quæ perindè aptè concinnari poſſe putat, ſi *Eucherius* circa annum DXXCVII ſeptuagenario minor, in Lugdunenſi Sede *Priſcum* ante annos duos ex Concilio Matiſc. II. Superſtitem exceperit.

IV. Penitùs evertitur ex pluribus MSS.

Hæc vir eruditus, ad cujus diligentiam iſtud imprimis accedere voluiſſent nonnulli, ut codices illos, quos vel hac voce *Lugdunenſis* deſtitutos ex *Sirmondi* teſtificatione referebat, ulteriùs inquirere ſategiſſet. Namque in eo ſolo verſabatur maximum cauſæ compendium, & facilè præjudicatum eſſet, vocem illam quæ difficultatem omnem invehit, infarſam fuiſſe, ſi eam non præferrent antiqui codices. At virorum tam gravium in re tam gravi teſtimonium illibatum, etſi reputare nil prohiberet; plura tandem nacti ſumus, unde fidem illorum liberemus: atque adeò quod ipſi non indicarunt ultrò proferimus, & è IV. bonæ notæ Codd. MSS. palmarem hanc ſubjectionem demonſtramus.

Primus Codex eſt Eccleſiæ Arelatenſis, nuper ad Biblioth. Colbertinam tranſmiſſus; & ante annos DCCC. litteris Saxonicis exaratus, in quo vitæ Pontificum Arel. à *Trophimo* ad Virgilium uſque leguntur. Habet autem N. 1870.

liber in eo capite in quo ſermo de Eucherio inſtituitur: *Quodam igitur tempore, dum iter age- circa Alpina loca, vir venerabilis Eucherius Ep. cum ipſo erat. Factum eſt ut in media ſtrata, &c.* ut in
N. 152 vulgatis II. codex accrevit Sangermanenſi Monaſterio ex liberalitate V. C. *wionis Hceovalli*, eſtque annorum circiter D. in quo ſimiliter: *quodam igitur tempore, dum iter ageret, circa Alpina loca; vir enim venerabilis* S. Eucherius *Epiſcopus cum ipſo erat. Factum eſt autem, &c.* III. Codex eſt rurſus Biblioth. Colb. eſt Homiliarius liber in SS. Solennitatibus legi conſuetus, & in majori membrana ante annos CCCC. deſcriptus, in quo etſi S. Cæſarii vita multis capitibus minuta ſit, illud tamen quod *Eucherium* attinet, legitur ad præcedentium normam ſine voce *Lugdunenſis*. Eos verò tres Codices in manibus habui. IV. Codex eſt Monaſterii Montis Majoris Arelatenſis quem non vidi quidem, ſed ex cujus fide *Cæſarii* vitam recitat.
Ad Cal. tom. ſæc. Bened. Teſtis omni exceptione Major D. Joh. Mabillonius, citrà ullam ejuſdem vocis memoriam. Quæ ſanè perſpecta veterum lectionum conſenſio, ſic ab editis diſcrepans, malum heic dolum ultro manifeſtat; adeò ut nil dubii ſit, quin ibi peritus quiſque interpolationem agnoſcat.

V. Ex incongruente narratione.

Verum licet non illa adeo patens eſſet, eam ex aliis graviſſimis momentis demonſtrari poſſe non diffiderem. Siquidem I. ex narratio-

nis ſerie liquet *Cæſarii* per Alpes itineris comitem fuiſſe quemdam ex ejus diſcipulis Epiſcopi comitatui ex more adhibitum quem Epiſcopatus gradu ſublimatum excogitare nil ſuadet, multoque minùs præſulem iſtum Lugduno ad id officii accerſere, ut circa Alpes cum Arelatenſi, provinciam ſuam haud dubiè luſtrantem peregrinaretur. II. Ipſemet ad hanc miraculi narrationem tranſitus patentem hiatum, & ſermonis interceptionem prodit; antea namquè jugem *Cæſarii* orationem ex ordine deſcribens Cyprianus, & eidem illud Pſalmographi coaptans: *meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper*, nullo alio medio ad Alpinam *Cæſarii* peregrinationem ita divertiſſe in præſentiarum legitur. *Cum aliquando circa Alpes iter ageret, &c.* quæ nullam inter ſe cohærentiam exhibent, & à Cypriani ſtili conſuetudine ſatis abhorrent: quamvis heic etiam contextum utcumque ligare ſtuduerit *Surius:* nam in MSS. quos recenſuimus Codd. hæc ineſt abruptior formula. *Quodam igitur tempore, &c.* Sed hæc fortaſſis antequam repertus eſſet integer vitæ *Cæſarii* Codex, quem non vidit *Surius* ità componere tentaverat. III. Poſt repertos verò Cypriani & Succenturiatorum ejuſdem vitæ libros, manifeſtior evaſit facta in eis interpolatio: nam Alpini miraculi, & aliorum perpaucorum exactâ narratione tam diſſonâ, interſectus *Cyprianicus* ſenſus in his verbis redin-

Digitized by Google

tegratur, *in diſſerendis autem Scripturis, & in elucidandis obſcuritatibus quanta gratia in illo enituerit, &c.* Quis enim verò non palpat hæc undequaque cohærere cum iis præviis, in quibus perpetuam *Cæſarii* orationem, ac prædicationem extollens, ipſi quem adduximus adſcripſerat pſalmi verſiculum: *meditatio cordis mei, &c.* Hæc enim ritè rectequè conſequuntur; non autem Alpini itineris hiſtoria: proclivè quippè fuit, ut ejus in pſalmis meditandis ſtudio collaudato, ejuſdem in elucidandis Scripturis divinis, ingenii nitorem, & gratiam commendaret: quæ vitæ hiſtoriam inſpicienti planiora fient. Undè bonâ fide *Surius* agnovit nonnulla deeſſe in duobus quibus ſolis uſus eſt Codd. MSS. ex quorum etiàm auctoritate Lyrinenſis Chronologus eamdem *Cæſarii* vitam recitat. Non ut ille tradit *ab ejus Preſbyteris & Diaconibus exaratam*: ſcilicet *Meſſiano*, atquè Stephano: ſed ab eodem *Cypriano*. Hujus enim eſt (ſi paucas excipiamus inciſiones à *Firmino*, & *Viventio* Epiſc. adjunctas) quidquid primus ab indè complectitur liber: ut vel ex hâc ejus poſtremâ clauſulâ patet: *Rogamus vos tamen SS. Fratres* Meſſiane *Preſb.* & Stephane, *Diacone quibus de illo multa comperta ſunt, ut huic opuſculo veſtram quoquè collationem jungatis.* Poſt quæ continentèr ſequitur liber ſecundus ità incipiens: *Meſſianus Preſb. & Stephanus Diac.* dixerunt de S. Cæſarii, &c. IV. Si verò genui-

na eſt, ut verè eſt hæc connexio, ſubjecta videtur *Eucherii* cum *Cæſario* prolixa collocutio, ſeu continens, deinceps Cypriani ſermo locum nuſpiam exhibet ſicut legenti manifeſtum fiet. V. Aſſutum hic pannum qui magis ac magis prodit index ille eſt, quod in hac tam parum cohærenti narratione incipiat *Cæſarii* miraculorum ſeries retexi : at quanta in iſtiuſmodi manipulis, tritico immixta ſit palea, non ignorant veterum actorum exploratores : ut enim hæc imperitorum, ac ſciolorum animum magis captant ac ſtudia morantur, itâ procliviùs eorum temerariis auſibus, & interpolationibus experimur obnoxia, quod infinitum eſſet per ſingula recenſere: nec enim forſan *Cæſarii* acta hoc vitio, in aliis quibuſdam ſunt immunia.

VI. Interpolatorum in his actis licentia notatur.

Quî ergò & quo caſu priori *Cypriani* libro tale irrepſit additamentum ? multis quidem viis, & modis, quæ ſunt interpolatorum artes citò vel ſerò cognitæ, reprobatæque. Quis enim dubitet in alia ejuſdem libri capita hanc otioſorum hominum audaciam graſſatam eſſe, utque heic quædam addita, ità & alibi nonnulla ſuppreſſa fuiſſe? Sanè quoties illam luculentam Tolonenſis Ep. ſcriptionem relego, in hoc ſaltem inſigniter devenuſtatam non poſſum non agnoſcere : ubi omnem celeberrimi II. Arauſicani Concilii memoriam abolitam animadverto, quæ potior fortè *Cæſarii*

meritorum in Eccleſiam occaſio fuit. Cujus verò in animum induci poterit *Cyprianum* ſilentio famoſam obvoluiſſe Synodum cui S. Antiſtes præſedit, cujuſque dux, & ingenium fuit, ut Valentinam extolleret cui ſolummodò ſuos legatos deſtinavit.

Indicia interpolatoris multiplicia ſunt. I. In eo loco *Cyprianus* Epiſcopus Tolonenſis prædicatur *Antiſtes magnus, & clarus, atque inter præſtantiſſimos viros de Epiſcopis enituiſſe*: at de ſe ſcriptor demiſſiora verba feciſſet, qui paulò antè peccatoris nomine præ modeſtiâ ſe appellaverat: niſi fortè hujus vitæ auctorem alium eſſe ac *Cyprianum* Tolonenſem Epiſcopum quis ambigat, quod nemo hactenùs inficiatus eſt. II. Illi Concilio, Valentino ſcilicet, adfuiſſe narrat auctor *S. Cæſarium*, ad quod properare infirmitatis causâ non potuiſſe mox ſcripſerat. III. In hoc capite contextus orationis perobſcurus eſt admodùm, & ſibi adeò parum cohæret, ut quiſque lubenter primo aſpectu conſenſerit craſſo vitio laborare, & plurima truncata eſſe qua narrationem deformant.

Locum illum lib. 1. vitæ *S. Cæſarii* depravatum eſſe ſubodoratus vir eximius *P. le Cointe* ad annum DXXXVI. Annalium Francorum N. IX. reſtitutum iri autumavit ſi loco Concilii *Valentini Arauſicanum* ſufficeretur, hac ſuffultus ratione, quod nullum *Valentiæ* in Galliis tunc celebratum ſit Concilium: altum enim

ubique de illo ſilentium, nec aliundè niſi ex iſto loco vitæ S. Cæſarii innoteſcit, ut in comperto eſt apud omnes.

Verùm per hanc ſolam immutationem, non modo non emendaretur ſed excreſceret mendum. Quo pacto enim *Cyprianus* ejus libri auctor, literis commendaſſet *S. Cæſarium*, ad Concilium *Arauſicanum* properare non potuiſſe, cui ipſum præſediſſe viderat?

Ad aliud ergo Concilium, quam ad *Arauſicanum* referri debet illa Cypriani narratio: nam etſi unius vocabuli mutatio de facili poſſit irrepere incuriâ, aut ignorantiâ librarii, alienum à vero eſt totam periodum ſine fundamenti ſpecie inſertam fuiſſe; maximè in facto hiſtorico deſcribendo: præſtat illam integram oculis ſubjicere. *Ob hoc Antiſtites Chriſti ultrà Iſaram conſiſtentes charitatis amore collecti in Valentinâ civitate conveniunt. Ubi etiam Beatus Cæſarius infirmitatis causâ ſolicitans ſicut diſpoſuerat, properare non potuit: miſit tamen præſtantiſſimos viros de Epiſcopis cum Presbyteris & Diaconibus inter quos etiam Cyprianus, &c. enituit.* Nemo non videt totam elocutionem reſecandam eſſe, ſi de Concilio Arauſicano duntaxat intelligendus eſſet Cyprianus, cum ne particula quidem hujuſce omnis dictionis ad illam Synodum accommodari queat: nedum vocabulo uno mutato germanus reſtituatur ſenſus, ut perperam æſtimavit. V. C. le Cointe.

Quâ ergò viâ orationi, tam obſcuræ & ambiguæ, aliquid lucis afferri poſſit? hic nodus haud facilè ſolvendus: opinarer ego (non enim pro certo rem habeo) in eo maximè verſari hujuſce loci vitium: Quod *Valentiæ* in Hiſpania ſupponatur *Valentia* ad Rhodanum, & quod è Concilio *Valentino* Hiſpanenſi & Arauſicano II. ineptè unicum confletur Concilium *Valentiæ* in Galliis cui ſoli incongrué & permixté accommodantur, quæ nonniſi in duo Concilia, eaque diſſimillima, loco, causâ, & materiâ de qua in illis actum, cadere poſſunt.

Cum hac hypotheſi locus ille *Cypriani* utcunque explanari poſſet: quid enim mirum ſi *Cæſarius* ad remotas regiones non potuit infirmitatis causâ, *ſicut diſpoſuerat properare?* Quid novi ſi morbo laborans *viros præſtantiſſimos* in Hiſpaniam miſerit de Epiſcopis cum Preſbyteris, &c.? Quid prohibet quominùs *Cyprianus* præ cæteris *Cæſarii* legatis in ea Synodo enituerît? Hæc ad Concilium Valentinum Hiſpaniæ pertineant.

Reliqua quæ ſequuntur Conc. *Arauſicano* aſſignare neceſſe eſt, cujus circa Dei gratiam decreta inſinuat ſcriptor adjiciens: *nihil ſcilicet per ſe in divinis profectibus quemquam arripere poſſe niſi fuerit primitùs Dei gratiâ præveniente vocatus, &c.* Tum mentionem facit Epiſtolæ *Bonifacii* quâ *proſecutionem* Cæſarii, ut loquitur *Cyprianus*, Apoſtolicâ

licâ auctoritate firmavit, definita nempè in Concilio Arauſicano; neque enim fieri potuiſſet, ut Cyprianus ejuſce Synodi nullum omninò habuiſſet ſermonem.

At quâ autoritate quo titulo *Cæſarius* partes ſuas Concilio Valentino in Hiſpaniâ interpoſuiſſet, illòque legatos ſuo nomine miſiſſet? Primatis ſcilicet jure quo per omnes Hiſpaniarum Provincias jugo Viſigothico ſubditas potiebatur: neque enim ad omnes omninò Hiſpaniæ regiones, Primatum *Arelatenſem* extendimus, quæ jam erant conſtitutę ſub Primatu Hiſpalenſi: ſed ad illas ſolùm Provincias quas ſive in *Galliâ*, ſive in *Hiſpaniâ* ſuo vel *Amalarici* nomine regebat *Theodoricus* Rex Italiæ. Nec aliter intelligendum eſt decretum *Symmachi* Papę anno DXIV. his verbis datum Cæſario Arelat. *Decernimus, ut circa ea quæ tam in Galliæ, quam in Hiſpaniæ Provinciis* (ut legendum probat le Cointe) *de causâ religionis emerſerint, ſolertia tuæ fraternitatis invigilet: & ſi ratio popoſcerit præſentiam Sacerdotum, ſervatâ conſuetudine, unuſquiſque tuæ dilectionis admonitus auctoritate conveniat.* Illâ igitur facultate munitus *Cæſarius* potuit in *Hiſpaniâ* congregare Synodum: hucuſque enim protendebatur Primatus ipſi conceſſus qui iiſdem finibus conſcribebatur; atque Oſtrogothorum, ſive Viſigothorum, in illis Provinciis dominatus. Ad quam tamen Synodum, ſive præ infirmitate, ſive itineris

C

longitudine properare non potuit: ut habet ejus vitæ hiſtoria.

Ad rem etiam faciunt iſta S. Cypriani verba: *ob hoc Antiſtites Chriſti* ultrà Iſaram conſiſtentes *charitatis amore collecti in Valentinâ civitate conveniunt*: Enimverò ſi tota hęc oratio Germanus eſſet *Cypriani* fœtus, ei ſive Toloni, ſeu alibi in Provinciâ hanc exaranti, Epiſcopi Provinciæ Arelatenſis qui hic deſignantur, non ultrà ſed citrà Iſaram conſiſtere viſi fuiſſent. Ea propter aliquandò exiſtimavi à Scriptore Gallo hęc verba *ultrà Iſaram* tunc inſerta eſſe hiſtoriæ, quando *Valentiâ* à Francis dudùm occupatâ, & in partibus Provinciç *Viennenſis* II. ſive *Arelatenſis*, nomine Gothico omninò aboleto, nequidem in mentem venit infartoris, Pontificem *Arelatenſem* de Concilio in Hiſpaniarum diſſitis regionibus celebrando unquam cogitare, ſive per legatos adeſſe potuiſſe. Nil tamen vetat quin hęc ità ſe habuerint, & ad illas regiones Primatûs ſollicitudinem, & jura extenderit *S. Cæſarius*. Quę ſi, ut nobis ità & aliis rationi diſſona non videantur, jam ille locus vitę *S. Cæſarii* maximè elucidabitur, & expungendum erit ex albo Conciliorum, *Valentinum* iſtud ex Galliis, cujus nullum extat alibi veſtigium, ac de *Valentiâ* nobili Hiſpaniorum oppido in orâ Maris Mediterranei intelligendum, quod tunc temporis à Gothis occupabatur, & Sy-

Digitized by Google

nodo Epiſcoporum decoratum legimus anno XV. *Theodorici* Regis, ut pręferunt hujus Concilii acta qui *cadit in* annum Chriſti DXXIV. quo *Arelate* præerat *Cæſarius*.

Ut hæc itaque licet graviſſima ab interpolatoribus deformata, iſta quædam leviora ab iiſdem pro libito ſubjecta fuerunt, inter quæ primum locum obtinere debet iſta narratio, ſeu *Cæſarii* cum *Eucherio* dialogus iis præſertim quæ nunc leguntur formulis inconcinnus ne dicam hiſpidus.

VII. *Eucherii* cum *Cæſario* collocutionis inſulſitas.

Et quidem quem non percelleret exquiſita collocutionis iſtius inſulſitas, quâ Præſul Arelatenſis Lugdunenſi Collegæ ſuo, ſimili dignitate ſpectabili, tanquam inferiori imperat, iſte veluti trepidus alumnus morem gerit: ille increpat; hic humilis deprecatur, ac tandem obortis lachrymis modeſtiam ac pudorem prodit. Quæ certè non modò alium actorem, quàm *Eucherium* Lugd. ſed alium quam Epiſcopum repræſentant. Verùm & iſta magis quibus colloquium clauditur *Cæſarii* verba, fabulam ſapiunt: *Tunc obedientiæ causâ in ignem ingreſſurus es qui nec miſericordiâ adduci potes ut facias quod charitas jubet? mitte in nomine Domini manus, & erige eam, &c.* Hæc, inquam, cumulatiùs oſtendunt colloqui heic *Cæſarium* non cum Epiſcopo, ſed cum diſcipulo ſub diſciplinâ adhuc conſtituto, & iſtiuſmodi magnis exemplis ad omnem imperii Majorum nutum flec-

tendo: quam diſciplinę monaſticę conſuetudinem pluribus expendit *Caſſianus*, & alii. At hęc Antiſtitis Lugdunenſis perſonę non congruebant, & à *Cæſarii* pio prudentique magiſterio alieniſſima non poſſent non cenſeri. Quod ſi hæc ſolitariè conſiderata illud inducant & ſubjectionem heic manifeſtant, quantò magis nunc pro compertâ, & exploratâ cenſeri debet; quando nec in primigenio *Cypriani* opere locum debitum obtinet & fraudulenter pateſcit inſerta narratio, neque in ſecundo à *Cæſarii* Clericis ordinato libello conſcripta reperitur. Quæ quidem niſi interpolationem malamque fidem patenter exhibeant, vix quippiam percipio quod hac cenſurâ perſtringi poſſit.

VIII. *Chiffletii* ſuſpicio de *Etherio* Lugdun. in *Eucherium* converſo rejicitur.

Egregiè quidem veniret heic adhibenda conſequens Chiffletii conjectura, quâ ut jam monuimus putavit *Eucherium* loco *Etherii* in actis irrepſiſſe: at quominùs in eam propendeamus ſuſpicionem duo prohibent. I. quia *Etherius* iſte qui *Cæſario* comes ſupponitur, anno DXL. currens annum ætatis XVIII. ad Pontificem veniſſet, obeundis pręcipuè longinquis per Alpes peregrinationibus imparem: quippe qui tùm ſeptuagenarius erat; nam poſt tres annos obiens ſeptuageſimum tertium ætatis ſuę egiſſe ab illius vitæ Scriptoribus obſervatur. II. Quod rem longè magis inſulſam indicat, atque à veriſimili remo-

tam exhibere debuit Chiffletio, dignitas illa eſt *Comitis* quâ *Eutherium* antequam ad Epiſcopatum Lugdunenſem aſſumeretur præfulſiſſe narrat vitæ *S. Nicetii* in eâdem Cathedrâ prçceſſoris, Auctor Anonymus. At quorsùm illud Comitis, ſeu ut habet vir doctus, *viri ex ævi more juris dicundo in urbe Lugdunenſi præpoſiti* munus in illum aptè convenire poterat; qui dudùm ſæculi nuntium cum remiſiſſet ſub S. Cæſarii Magiſterio tantis vitæ profectibus auctus erat, ut operandis miraculis maturus à perſpicace in paucis Magiſtro cenſeretur? His enim ſtantibus neceſſe erat, ut *Etherius* poſt conſecrata Deo vitæ ſuæ initia ſeſe denuò negotiis ſçcularibus implicuiſſet: at hæc nullam veriſimilitudinis lineam prç ſe ferunt, nec iſta componere noſtra res eſt.

Si tamen vera eſt, quod nec inficior, *Cæſarii* cum *Eucherii* diſcipulo licet aſſuta collocutio, longe probabiliùs eſſet *Eucherium* illum ex Lirinenſi Cœnobio, quò poſt adeptum Sacerdotium ſæpe divertebat *Cæſarius*, aſſumptum ſuſpicari; cum maxime inter illa tempora unus in hac ſodalitate repræſentetur nobis *Eucherius*, quem ob inſignia vitç merita Abbatem factum exhibent Lirinenſes tabulæ, poſt *Porcarium & Nazarium Fauſti* ſucceſſores, quæ genuina eſt epoche cum quâ *Eucherii* ſub *Cæſario* tyrocinium cohærere poteſt. Sin minùs hçc placeant, credere nihil prohibet *Eucherium* IX. Aliæ de Eucherio Cæſarii diſcipulo conjecturæ.

illum audiviſſe ſub Cęſario in illo ſuburbano Arelati Monaſterio, cui eundem præpoſuit deceſſor ejus, & affinis *Aonius* Arelatenſis Epiſcopus. Hoc enim Aſceterium quod propriâ auctoritate gubernavit *Cæſarius* eidem convenientiſſime alumnos ſuppeditare potuit, quos aſſumeret itinerum ſuorum Comites, & à quibus ſolitam obedientię diſtrictionem quam in caſtris religioſę militiæ ſervabant, datâ occaſione repetere fas illi fuerit. At inde nil aliud ad ſummum confici poterit, niſi quod *Eucherius* iſte, hunc illi comitatum præſtitit: Ante Epiſcopalem dignitatem adeptam, quam tamen per prolepſim expreſſit interpolator: aut ſi tum Epiſcopus in Arelatenſi Provinciâ, ad id officii ab antiquo Abbate tunc Metropolitâ *Cæſario* deputatus fuit, hic forſan in civitate ſibi propriâ ſedem non obtinuit. At nuſquam ille, vel per ſomnium pręſumi poterit Lugdunenſis Antiſtes.

Quantùm iſthæc igitur ſatis obvia invicem copulari poſſent tam remota, penitùſque diſſociata viderentur illa in quibus educeretur alter Eucherius Senator, qui nuptias ambiens, & ex nobiliſſimâ ſponsâ liberos ſuſcipiens (quæ niſi per diuturnas in ſæculi fluctibus moras potuere confici) ex iſtius deinde conſenſu *ad vitam religioſam habitumque converſus*, in ſpeluncâ detruſus, & omnibus incognitus delituerit: unde quaſi à voto retractus exierit,

ut ſe *Cæſario* itinerum ſocium daret. Namque & his poſitis, nec illud forſan cohærens videri poſſet; ut virum jam maturum, talemque ac tantum per omnia jam probatum, ſic dure tractaſſet, & increpuiſſet Cæſarius; nec iſte tam pueriliter locutus ac illachrymatus fuiſſet, quàm hęc & ſimilia profert narratio. Sed ne quid eorum produnt vel inſinuant vulgaria *Eucherii* converſionis acta, quæ ex adverſo continentem ejuſdem ſuâ in ſpeluncâ remanſionem cum expreſsè conſignent: In majus etiam diſcrimen infartam Cypriani libro hiſtoriam, adducerent. Cum igitur illa ipſa undique ſuccuti poſſit, nec quaqua versùm revoluta quidquam conficiat, unde junior Eucherius in Lugdunenſi Cathedrâ ſtatui queat: id ex Inſtituti ratione reſiduum eſt, ut iſtius, quæ reputatur hiſtoria converſionis in examen vocetur, In quo II. diſquiſitionis noſtræ caput verſabitur.

Digitized by Google

SECTIO II.

Eucherii converſionis quæ circumfertur hiſtoria ſubjectione & metachroniſmis laborat, circa illa quæ junioris Eucherii tempus reſpiciunt, ea verò congruè ad ſeniorem referuntur.

X. Eucherii converſionis hiſtoria in examen adducitur.

INſignis admodùm eſt illa *Eucherii* converſionis hiſtoria, cujus reperta MSS. exemplaria ante annos nongentos exarata, fidem ei magnam aſſerere videntur, quam adeò heic integram exſcribere non abſque aliquo foret opere pretio, quo videlicet omnes ejus fibrę penitùs excuti poſſent; ſed quoniam id non ſuſtinet propoſiti ratio, capitales ejus periochæ deſſlorandę ſunt, & ad exactos hiſtorię ac chronologiæ calculos trutinandæ.

Primùm itaque retractare libeat quod de ſeipſo teſtatur Scriptor, aſſerens utique ea quæ de *B. Conſortiæ Eucherii* filię geſtis relaturus eſt, ab Uranio *Preſbytero* & Celſo *Subdiacono qui ei dum adviveret adhæſerunt, nec non &* Aureliano *Preſbytero qui uſque nunc ad ſepulchrum ejus Deo ſervit referentibus ſe audiviſſe.* Quę huic narrationi (inquit Chiffletius) fidem conciliare videntur; cum è contrà argui poſſit illam quam contexuit prçviam Eucherii converſionem à tam fidis vadibus haud accepiſſe narrationis

narrationis auctorem, qui pro ſolis *Conſortiæ* actis fidem illorum præſtat. Utrumque annum videre juvat.

Igitur initio operæ proponitur: *quidam vir ex ordine Senatorio* Eucherius *nomine, habens uxorem nobilibus ortam natalibus nomine* Gallam: *quorum quidem ampla poſſeſſio, & numeroſa familia theſaurorumque copia claros in ſæculo fecerat*: Hic autem ſuſceptâ ex conjugio duarum duntaxat filiarum *Conſortiæ Tulliæque* ſobole, quod multo tempore moliebatur animo geſtiens adimplere, communicato cum uxore religioſæ vitæ propoſito, tonsâque capitis comâ in ſpecu quam juxta ſuam (*Eucherii*) voluntatem Dominus oſtenderat, ſitam in territorio Aquenſi in agro ſuo quem *Montem Martium* appellant, fluvio Durentiæ imminentem, ſe retruſit, undique locum obſtruxit, ut nullus ad eum valeret ingredi, B. Gallâ ei per feneſtellam quotidie cibos ad veſperam, ut ipſa petierat, miniſtrante. Poſt non multos verò dies converſionis illorum, filia eorum *Tullia* in virginitate permanens migravit ad Dominum, ſepultaque eſt in agro ſuo qui dicitur *Thele* in ſpeluncâ duplici. Hæc autem, unâ die, Gallæ ſuper obitu conſolationem non recipienti, ſtolâ candidâ, & chlamyde auro fulgente, adſtans, beatitatemque ſuam nuntians, revelat ex ordine quæcumque impendebant Eucherio patri in Pontificem aſſumendo, & Conſortiæ ſorori

multa ut virginitatem ſervaret paſſuræ, &c. Poſt quæ verba factum eſt ut quidam juvenis illuſtris, *Aurelius* nomine, peteret ab *Eucherio* filiam ſuam *Conſortiam* in uxorem, qui quidem de revelatione *Gallæ* uxori factæ jam certus proco reſpondit: Puella quam petis ſponſam, ætatem habet, ipſa pro ſe loquatur. Hæc ex converſionis prolixioris narratione compendio fideliter, & ad verbum deprompſimus, eis notanter reſectis capitibus, quæ illam non mediocriter devenuſtant. Qualia ſunt ſancti propoſiti manifeſtatio affinibus per *Eucherium* facta, parataque eiſdem ac amicis convivii magni menſa, & alia hujuſmodi quæ conjugum ſeceſſum meditantium arcanæ ſolitudini, ſi non repugnant, parùm certè congruunt.

XI. Quibuſdam Chronologiæ characteribus cum Cæſarii vita componitur.

Geſtorum porrò memoratorum ſeriei nullus hucuſque ſatis idoneus appoſitus eſt chronologicus caracter, quo illa certis epochis illigarentur; ſed tamen magis ex iſtis quam ex ſuperiùs eventilatis vitæ *Cæſarii* actis rem utcumque componi poterit. Etenim ſi junior iſte qui ſupponitur *Eucherius Cæſario* Arelatenſi coætaneus præferatur, conſequens eſt, ut illius Epiſcopatus tempus inter annum DIII. & DXIII. quos ſuâ in Sede exegiſſe *Cæſarium* notavimus, conſcriptum maneat. At Lugdunenſium Præſulum ſeries uſque ad annum circiter DXVII. vel DXVIII. omninò continens non niſi poſthac aliquem hiatum exhibere vi-

detur, cui probabiliter implantari poſſint Eucherii iſtius fortunæ : nec reverâ *Severtius* in ſecundâ ſuâ hiſtoriæ Lugdunenſis editione *Mabillonius* I. ſæc. Bened. aliique qui catalogos retexuerunt, *Eucherium* iſtum chronologiæ Pontificiæ, alio ordine inſerunt : omnes enim eum incunctanter collocant poſt Viventiolum anno DIX. & DXVII. ex Conciliis Epaonenſi, & Lugdunenſi quibus ſubſcripſit, aliiſque etiam conjecturis poſtea ſuperſtitem. At ex his calculis non potuit Eucherius ante annum XX. inſequentem Lugdunenſi Cathedræ præeſſe. Jam ergo ante triennium, vel fortè quinquennium ejuſdem converſio atque retruſio factæ, rectiſſimâ ſententiâ conjicientur circa annum DXV. vel DXVI. ſed non poſt multos ab hac converſione dies *Tulliâ* decedente, & poſt mortem quæ ſuis propediem adventura erant, nuntiante. Factum eſt ut illico *Conſortiam* ſororem natu aliquot annis majorem *Aurelius* vir illuſtris in uxorem poſtularit, quam voluntati ſuæ permiſit *Eucherius* pater, quia ætatem habebat. Quæ non obſcurè ſignificant *Conſortiam* ſui juris ita declaratam XVIII. ſaltem, vel XX. ætatis annum tum attigiſſe. Verùm iſthæc admodùm lubrica fluxaque leviter figere juvabit, etſi forſan mox revellanda. Itaque figatur, vel fingatur.

I Circa ann. DXVI. *Eucherius* Senator converſus ac retruſus.

II. Circa ann. DXVII. *Aurelius* petat in conjugem *Conſortiam* illius filiam circiter undevicennem.

III. Circa ann. DXX. *Eucherius* eligatur Lugdunenſis Epiſcopus loco *Viventioli*: educatur autem ex ſpecu reluctans, & invitus in hunc omninò modum, quem nunc integrum ex narratione ſubjicimus.

XII. Series hiſtoriæ narrationis.

Sancta Conſortia ſacro velamine ſuſcepto (rejecerat enim antea *Aurelii* nuptias) *perrexit ad ſpecum in quâ erant genitores ejus, & unà cum eis orationi vacabat. Accidit eo tempore, ut Pontifex Eccleſiæ Lugdunenſis migraret ad Dominum: mos autem erat præfatæ Eccleſiæ, ut quoties lege cunctis mortalibus debitâ, ſuo viduaretur Epiſcopo, in eligendo ſucceſſore revelationem Domini expectaret. Tunc ergo triduano à cunctis præmiſſo jejunio cujuſdam pueruIo apparens in viſu Angelus Domini: Eſt, inquit, Senator quidam* Eucherius *nomine ſuper fluvium Durentiam, retruſus in ſpecu, qui relictis omnibus quæ poſſidebat ſecutus eſt Dominum. Ad hunc educendum pergite & vobis paſtorem illum conſtituite, quoniam à Domino eſt electus. Quod cum puer Senatoribus diluculo retuliſſet., omnipotenti Domino cunctis fratribus convocatis gratias egerunt, miſſoque cum clericis ad præfatum locum Archidiacono invenerunt eum, ſicut eis Dominus revelaverat; cumquè illi Archidiaconus rem propter quam venerat indicaſſet, cæpit cum juramento dicere, ſe voluntarium de ſpecu non egreſſurum, nec cum eo niſi ligatus duceretur iturum: cumquè ta-*

Digitized by Google

lia diu repeteret, Archidiaconus, effracto muro ſpeluncæ eduxit eum, & juxtà quod ipſe juraverat, vinctum perduxit Lugdunum.

Hæc converſionis Eucherianæ ſcriptor, quæ penitùs exſcribere præſtitit, propter multa, nunc & in de curſu obſervandâ iſta porrò quæ præceſſerunt non deſignat narrator undè decerperit. Quod autem eorum aliqua marte ſuo concinnarit, indè colligi poſſet; quià cum ſuperiùs Eucherii ſpecum undique obſtruſum repræſentarit, ut nullus ad eum valeret ingredi, Beatâ Gallâ cibos duntaxat per feneſtellam miniſtrante, ſui poſthac parùm memor, ait: *Conſortiam* ſacro velamine ſuſcepto, *perrexiſſe ad ſpecum in quâ erant genitores ejus, & unà cum eis orationi vacaſſe*: Hincquè rurſùs afferit, alio memoriæ lapſu? *Gallam* poſt Eucherii ſponſi ordinationem eum locum ſpeluncæ ingreſſam in quâ vir Dei latuerat, filiâ ejus *Conſortiâ* quotidianum victum ei ſubminiſtrante, quæ quidem ſibi non ſatis conſtant: nam ſi ſolus in ſpecu retruſus *Eucherius*, quomodo in eadem eſſe poterat *Galla* cum ſponſo quando venit *Conſortia*? quomodo poſt viri ordinationem ingreſſa ſpecum, ſi anteà in illâ cum viro degebat? &c. Sed hæc levia ſunt; nec enim ea forſan ab *Uriano*, & aliis de re viſâ teſtantibus acceperat auctor, qualia ſunt quæ conſequuntur *Conſortiæ* geſtis duntaxat addicta; quem adeoque attentiùs auſcultare præſtat; eſt enim XIII. Secum pugnat.

quaſi nova operę diſtributio, ſic autem ordi-tur.

Pugnat cum rectâ Chronologiâ

Cum igitùr defunctis genitoribus ſuis S. Conſortia *in ſuâ poteſtate eſſe cœpiſſet, conſtruxit Eccleſiam in agro ſuo qui vocatur* Matonvicus *in honore* S. Stephani *Protomartyris, & Xenodochium ibi de rebus ſuis inſtituit ... familiam verò ſuam liberam eſſe conſtituit. His ità diſpoſitis* ad Clotarium *Regem Francorum perrexit*, &c. Cujus adventus Regi per viſum à Domino revelatus perhonorificam receptionem ei conciliavit: undè & ejus precibus ſanatâ *Clotarii* Regis filiâ, *Conſortia* voti compos ad patriam remeavit. Porrò *Clotarius* Provincię dominio potiri non cępit anté annum DLV. quo deceſſit nepos illius *Theodobaldus* Auſtraſię Regis *Theodorici* filius; immò nec tunc totam Provinciam ſui juris fecit, occupante Arelatem Childeberto uſque ad annum DLVIII. Quidquid illud ſit *Conſortia* anno DXVII. jam circiter, ut prænotavimus, unde vicennis, ferme ſexagenaria erat, quandò paulò poſt renuntiatum Toparcham Provinciæ *Clotarium* ad illum perrexit. Quod altè retinendum.

Namquè non poſt multos dies (ſic auctor pergit) *mortuo Rege* Clotario *miſſus eſt unus ex Primoribus Palatii* Hecca *nomine à* Sigeberto *qui Patri ſuo in regnum ſucceſſerat, ut Provinciam* Maſſilienſem *diſponeret: qui audiens multa de divitiis & pulchritudine* Conſortiæ *ad famulam Dei venit*,

præmiſſo nuntio. Hinc poſt mutuam collocutionem ſumentes cibum, Hecca *ejus pulchritudinem admiratus ejus amore exarſit, regreſſusque eam à Rege in ſponſam impetravit.* At cur plura congerenda, quæ tam imprudenter colligata, quàm facilè diſſolvuntur? I. Siquidem *Clotarius* obiit anno currentis ſæculi LXI, quo ætatis ſexageſimum quintum prætergreſſa *Conſortia*, nuptiis ab *Heccâ* ambitis, prorsùs inhabilis erat; tantùm abeſt ut aliquam pulchritudinis ſpeciem oſtentare poſſet. II. nonne illud etiam ludicrum videri poterit, quòd Deo per veli ſuſceptionem dicata Virgo, amiſſis parentibus, advenientem procum, convivio poſt collocutionem exceperit? III. Falſum quod poſt Clotarii obitum Sigeberto hęreditate obvenerit Provincia, quę Guntramni juribus ceſſit, nec niſi circa annum DLXX. ejus partibus dominium eidem ex amicâ cum fratre Guntramno compoſitione obtigit. Quòd ſi, tunc temporis in Provinciam concedere moratus eſt *Hecca*, magis ac magis ridenda veniet fabula; nam tùm LXXV vitæ annum currebat Conſortia, nata, ut obſervavimus, ànte annum D.

Certè nec per omnia ejus narrationis capita libet excurrere quæ manifeſtam produnt interpolationem. Exemplo ſint iſta. Dum per nuntios intimato *Conſortiæ* Regis aſſenſu ad ſuas cum *Heccâ* nuptias illa contriſtata reſpondit: *qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, ego Re-*

gis ancilla ſum, quidquid juſſerit implere ſtudebo: dicebat autem hæc, inquit Conſarcinator, *de vero Rege J. C.* Quæ quidem ille venatus eſt in quibuſdam martyrum actis, ubi legerat eos ambiguis hujuſmodi reſponſis idololatros tyrannos ludificaſſe. At alia verba decebant Virginem ſacram in mediâ Catholicâ ditione, Catholici Principis nuntios alloquentem. Ergo ſapienter, ac religioſè repoſuiſſet voto jam alligata *Conſortia*, poſt varias hac de re promulgatas ab Eccleſiâ leges, poſt conſtitutionem Clotarii I, ſi tamen ad illum referri queat quæ habetur tom. 5. Conc. conſtitutio, quâ cavetur *ut ſancti-moniales nullus ſibi in conjugium valeat ſociare.* Sapienter, inquam, repoſuiſſet integrum ſibi non eſſe poſtulatis annuere, quando quidem latum: *excommunicari puellas, quæ ſe Deo devoverunt, & poſt XXV. annum ad terrenas nuptias ſpontè tranſierunt*, immò eas ad pœnitentiam agendam non recipi, & quovis modo *prævaricari*, etiam ſi ad promiſſionem non *acceſſerit conſecratio.* Quantò ergò magis rea fuiſſet *Conſortia*, quæ patre ſuperſtite ſacrum velamen quod non niſi ætate maturis concedebatur ſpontè ſuſceperat? hanc Virgo nobiliſſima diſciplinam ignorare non poterat. Citrà quam etiam debuiſſet potiùs jam provecta *Conſortia* cum *Sarâ* planum, & apertum reſponſum dare: *poſtquam conſenui voluptati operam dabo?* ſed quæ in narratione conſequuntur quan-

tam

tam fictionem redolent? *Etenim tædio affectæ* Conſortię & S. Stephani *oratorium ingreſſæ, apparuit Angelus Domini in ſomnium dicens*: Conſortia *cur affligeris? non te derelinquet Dominus cui ſervis: nam ſponſus quem tibi Rex mittit, ad te non perveniet. Parato itaque convivio voca pauperes, & jube in iſto quo accumbis loco ſepulturam parari, in quâ eum defodias qui ſponſam Chriſti ſibi vult uſurpare: tres dies ſunt, & nuntiabitur tibi venire. Tu itaque audito nuncio egredieris ei obviam cum pauperibus pſallens, quod cum aſpexerit ille, gladio proprio præ gaudio interibit.* Namque quàm inſolens, & inordinatum, ut Angelus *Heccæ* foſſam ante tres dies parare *Conſortiam* juſſerit? quàm irreligioſum, ut in oratorio cadaver effrenis juvenis *Chriſti ſponſam uſurpare tentantis* humari curarit? in Eccleſia, inquam, ubi corpora fidelium ſepeliri tùm nefas erat: undè eadem ipſa narratio *Tulliam* virginem, *Conſortiæ* germanam paulò ante exhibuerat, ſepultam non in oratorio, ſed in agro qui dicitur *Thele*, in ſpeluncâ duplici. Quàm puerilis porrò pauperum cum virgine inter cantus ad Druentiæ ripam feſtinantium turma, ut gladio confixum *Conſortiæ* Procum videret? Præthereà narrata geſtorum ſeries de mortis Heccæ nunciis Regis allatis in ejus natalis die, quando germana ejus quam *S. Conſortia* ab infirmitate curaverat ad Regis latus diſcumbebat, hinc dubia, quæ tum mota ſunt ne Conſortia de Provinciâ Maſſilienſi

virgo illa eſſet, reſque tandem exploratior facta: hæc, inquam, aliaque iſtiuſmodi accerſita narrationis capita ad ſimilium quarumdam hiſtoriarum exemplar fabricata facilè deprehenduntur; quin tantùm chartæ, atque operæ in iſtis diutiùs excutiendis impendamus.

Ex congeſtis itaque collatiſque pugnantibus invicem rerum geſtorumque converſionis Eucherianæ capitibus, recurrit undequaque narrationem illam à pinguioris Minervæ Scriptore variis ex centonibus conſarcinatam eſſe. Et apparet quidem primò S. Conſortiæ vitæ acta illigata fuiſſe hiſtoriæ converſionis Eucherii, quæ ejuſdem ad Lugdunenſem Eccleſiam aſſumptionem deſcribit: & Magnum famæ laude univerſo orbi commendat: eaque omnia tandem variis hinc, & inde corrogatis inſignibus facinorum exemplis in unicum tandem opus conflata eſſe. At cum illud neque ad hiſtorię leges exactum ſit, neque ad genuinos chronologię calculos reduci queat, facilè judicatu eſt ex tam monſtroſo partu nil prorſus erui fas eſſe, unde junior Eucherius, aliis jam pręjudiciis è medioſublatus rursùm exurgat. Quia verò (quod jam monuimus) ex alio capite, ſcilicet ex Conciliorum actis, quibus inter hęc tempora nomen *Eucherii* reperitur, Lugdunenſis iſtius fortuna rejicitur: hoc etiam argumentum, ſed paucioribus expedire nobis incumbit.

SECTIO III.

Varia Galliæ Concilia VI. ſæculo habita, & Eucherii nomine ſignata, Epiſcopum alium à Lugdunenſi produnt.

ET quidem ex præcedentium capitum definitione, quæſtionis hujus judicium pendet: retractare quidem convenit, non anteà cogitatum eſſe *Eucherium* Epiſcopum ex Synodis iſtis notum, Lugdunenſem imaginari, quàm cum ex interpolatis vitæ *Cæſarii* actis *Eucherius* primùm illius comes, tum Epiſcopus, & Lugdunenſis Epiſcopus expreſsè denominatus apprehendi cœpit. Extunc enim Lugdunenſium Epiſcoporum chronologiæ inſitus fuit, inter ea tempora quę cum ætate Cæſarii convenirent: unde tandem conflatus eſt Eucherius II. ſeu junior cum ejus geſta Seniori aptari non valerent. At iſtis ex toto ruentibus illationem inde ductam ſimiliter & ruere conſequens erit. Quàm alioquin jejuna ſunt iſta. Eucherius Epiſcopus præſentiam ſuam accommodavit Concilio Arelat. IV. coacto anno DXXIV. Carpectoratenſi an. DXXVII. Arauſicano DXXIX. & Vaſenſi ejuſdem anni in menſe Novemb. ergo fuit is Lugdunenſis Epiſcopus. Quàm elumbè, inquam, eſſet iſtud ar-

XIV. Eucherius ex Conciliis VI. ſæculi notus.

gumenti : etſi forſan aliundè conſtaret Lugdunenſi Sedi præpoſitum Eucherium tum fuiſſe ? Tantùm enim abeſt ut viciſſim probabile reddi poſſet illum ipſum memoratis Conciliis ſuam ſubſcriptionem appoſuiſſe : ut è contrà citrà opem abnutivi argumenti diverſum arguere liceret ex iſtis I. quia aliqua ad leves cauſas tractandas convocata ſunt quæ facilè per Provincialium Præſulum coitionem ſine aliorum Metropolitanorum , & Lugdunenſis præcipuè remotioris advocatione vel conſilio definiri poterant. Unde cum non appareat ſufficiens ejus pręſentiæ cauſa , alius à Lugdunenſi conjici deberet Epiſcopus Eucherius his actis ſuſcriptus. II. Quod unius aut fortè alterius Synodi congregandæ , occaſio rem veroſimilem reddere poſſet , plures hic conſequentes veram non eſſe docent. Siquidem Epiſcopus quatuor Synodis ab unico Arelatenſi Metropolitano , intrà quadriennium ordinatis , cum aliis Provincialibus incunctanter aſſiſtens , longè potiùs & ipſe Provincię ejuſdem cenſetur Antiſtes, quàm extraneus, quàm in remoto poſitus , quàm alter Metropolita : quàm Eucherius tandem Lugdunenſis. III. ordinarium, nulloque gradu ſuperiorem Epiſcopum Eucherium iſtum quatuor produnt ſuſcriptiones totidem Synodis adhibitæ , in quibus promiſcuè inter alios Arelatenſis Provinciæ Antiſtites nomen ſuum

apponit. At ſi ille Metropolites Lugdunenſis extitiſſet, alia haud dubiè dignitatis ipſius ratio habita fuiſſet, & alius honorificentior poſt Arelatenſem utique locus, eidem obveniſſet.

XV. Eucherius M. cur inter Præſules ordinar. Arauſ. Synodo ſubſcripſerit

Ad hoc poſtremum autem ſcio præſtò repoſiturum non neminem & PP^us^. & *Eucherio* ipſi ob oculos fuiſſe magni Eucherii Præceſſoris recens quod ſequeretur exemplum, quippè qui ad Arauſicanum I. Concilium ſub Hilario Arelatenſi celebratum an. CCCCXLIX. evocatus eidem citrà ullum prælationis indicium poſt octo forſan alios collegas ſuos ſubſcripſit: ſignanterque poſt Maximum Rejienſem qui uno, vel altero anno ante eum infulis auctus fuerat. Sed iſtud egregiè excipi poteſt, etiam in hoc conſeſſu *Eucherium* videri aliquâ ſui gradus prærogativâ diſcretum; in quo ſaltem cum hac ſingulari clauſulâ nomen ſuum apponit: *Ego Eucherius Epiſcopus ſubſcripſi, ſanctorum Sacerdotum Provincialium meorum ſuper his expectaturus aſſenſum.* Quæ quidem eundem heic extrà ordinem vocatum produnt, & quamdam tamen ſedis ejus eminentiam manifeſtant, firmantque ex omni parte inſuper eam quam præcedenti numero protulimus conjecturam, quod nempè alterius *Eucherii* in Provinciâ Arelatenſi poſterioribus Synodis frequentiùs occurrens nuda ſubſcriptio, alium omninò quam Lugdunenſem Præſulem clamat, cum in hac Arauſicanâ primâ noſter Eucherius de externæ

Provinciæ diſcrimine conteſtatus ſit, cujus quidem providentiæ argumentum illuſtrius eſt, quàm ut aliis exemplo, & documento non fuiſſet.

Cęterùm de hujus ſubſcriptionis ordine aliud in hocce facto concurrit, undè veriſſimam ejus rationem attingere promptum ſit: ſcilicet cum iſti conſeſſui *Maximus* nuper Abbas Lirinenſis tunc Rejienſis Epiſcopus interfuerit, ac potiſſimùm occaſione, jure ſuo decedere voluiſſe in gratiam ejuſdem Maximi *Eucherium* Lugdunenſem: quod iſte paulò antea ſub ipſo Maximo in caſtris Lirinenſibus militaſſet, præpoſterumque & indecorum proindè cenſuiſſet ſi antiquo magiſtro novitius olim diſcipulus anteponeretur. At quia *Maximo* poſt alios ordinatione priores collegas ſubſcribendum erat, *Eucherio* nonniſi locus poſt *Maximum* potuit obtingere: ut ut fuerit tandem illud egregiè conſtat, haud ſingulare tum facinus in conſequentiam tractum non eſſe: nam ab indè Metropolitarum gradus ratio in conſeſſibus habita clariùs ac conſtantiùs obſervatur. Sicque poſt decennium circiter, citatus ad Arelatenſe Concilium in causâ *Theodori* noſtri Forojulienſis, & Fauſti Lirinenſis, *Ruſticus* Narbonenſis Primas immediatè poſt Ravennium Arelatenſem ante omnes Provinciæ Epiſcopos recenſitus fuit: ſic enim præfert Synodi ſuperinſcriptio, *Inſtitutio SS. Epiſco-*

porum, *Ravennii*, *Ruſtici*, *Nectarii*, *Flori*, *&c.* At magis in ſpecie Lugdunenſes Metropolitę hanc deinceps Cathedræ ſuę dignitatem vindicaſſe reperiuntur. Siquidem *Viventiolus*, qui juniorem Eucherium præceſſiſſe ſupponitur, in Epaonenſi Concilio anni DXXVII. primus ab *Avito* Viennenſi prę aliis quàm plurimis inſignibus Epiſcopis ſubſcriptus notatur, & rurſùs conſequenter, ut putatur, Concilii Lugdunenſis acta primus nominis ſui appoſitione roboravit. *Lupus* ſimiliter anno DXXXVIII. Concilio Aurelianenſi III. conſenſit ante *Pentagathum* Viennenſem. Taceo de *Sacerdote Lupi* ſucceſſore, cujus in Concilio Aurel. V. anno DXLIX. ſubſcriptio, ſex Metropolitarum datis ibidem ſyngraphis pręit. Nam ex factis duorum Præſulum inter quos medius Eucherius II. ſediſſe contenditur, ſatis ſuperque ſtabilitur; vindicata ſervataque à Lugdunenſibus gradûs dignitas; adeò ut *Eucherius* iſte qui ejus retinens non fuit, alius à Lugdunenſi, facilè cenſendus eſſet; ſed hæc monuimus è ſuperfluo.

At hoc loci *Baronii* confidentiam ſatis mirari non poſſum, qui cum pro unico *Eucherio* in primâ Annalium editione ſtetiſſet ad annum CCCCXLI. in ſecundâ deinde tam pertinaciter pro altero juniore Eucherio dimicavit ad annum DXXXIX. ut his IV. Conciliorum actis ſubſcripti Eucherii Epiſcopi ſe- XVI. Baronii lapſus ex incogitantiâ.

dem licet minimè determinantibus ipſe determinarit: eo quòd Gennadius Maſſil. & Honorius Auguſtod. alterum Eucherium Eccleſiaſticum Scriptorem exhibeant: exhibent quidem, & eum duntaxat Preſbyterum aſſerunt: quæ ſanè ex adverſo prohibere ſaltem Annaliſtam debuiſſent, ne iſtum tam expreſsè deſignatum Preſbyterum cum altero Lugdunenſi Præſule confunderet: quaſi non potuiſſet hujus nominis Antiſtes, ſi quis tunc fuiſſet, Lugduni ſediſſe idemque Concilio II. Arauſicano aliiſque ſubſcripſiſſe, alius omninò *ab Eucherio Preſbytero* quem præfati inſcriptores laudant: ſed hæc mox pluribus elevabimus.

XVII. Contra junioris Eucherii epochem omnium probationum conſpiratio.]

Nec enim magis iis nunc colligendis, aut componendis debemus incumbere per quæ ſimul adunata Eucherii junioris fortunæ integræ ſtare vulgo jactantur: cum enim ſeorſim ſpectata diſcuſſaque ſubſiſtere nequeant, quorſum ex invicem nectere & ἐξ ἄμμου σχοιγίον quod aiunt moliremur; niſi quod exinde monſtroſiùs oſtentare propoſitum eſſet; quæ aliorum otio ſed inani permittimus. Siquidem ſat etiam ex delibatis intelligitur; quod ſi *Cæſarii* diſcipulum *Eucherium*, cum eo cujus converſionis acta circumferuntur, confundamus ex Senatore ampliſſimo Proleque ex Matrimonio aucto, & ſatis provecto *novitium* faciemus diſcipulum Pontificis Arelatenſis, itinerum ſocium, & quod palmare eſt ex converſo retruſoque

ſoque contra hiſtoriæ fidem, ſervatamque inſtituti diſtrictionem admittemus aliò divertentem, & propoſiti parùm memorem. Quod ſi ſecùs eum tum dicamus Epiſcopum, immaniùs repugnabit Epiſcopi ad Collegam ſuum inſuavis, & incondita collocutio: ſi tandem prę ſto ſint Chronologici Francorum Regum characteres, quibus notantur Conſortię geſta quò quęſitus expetitis cum eâ nuptiis adhibeatur color Eucherii ſub Cęſario inſtitutio exſufflari debet, cum tunc verteretur annus DLXXV. & ante annos triginta duos obiiſſet Cęſarius, ex prępnotatis ad num. II. & XI. In ulteriora igitur tempora repetendus eſſet Eucherii junioris Epiſcopatus: ſed nec tunc eidem, ſuos inter Pręſules dabunt locum Lugdunenſis Eccleſię tabulę probatis exploratiſque Sacerdotibus uſquequaque cohęrentes: quem ſi darent, haud viciſſim Cęſarium Epiſcopum redhiberent Arelatenſes Catalogi, quo tamen ſcenæ auctore ſublato, tota corrueret machina. Inter hæc porrò in medium hucuſque prolatæ Eucherii ſubſcriptiones in hujus ævi Conciliis obſervatæ, nec cenſendæ, nec adjungendę quę auxilio eſſe non poſſent, cum ex aliorum fortunâ pendeant, nutarentque etiam, quamvis illæ magis conſiſterent.

Quaquaversùm ergo iſtiuſmodi facta characteresque ſejungantur aut conjungantur; aut ex ęquo concidunt, aut invicem pugnant

& juniorem Eucherium, è Sede Lugdunenſi deturbant, ſed numquid iſtius ortu labente, fortuniſque diſſolutis, conſequens eſſet, nt non modò ex albo Lugdunenſium Epiſcoporum mox disjungeretur cui tam leviter infartus fuit: ſed etiam ut quidquid alienarum opum in ejus caput congeſtum erat, in ſeniorem atque unicum Eucherium quaſi poſt liminii jure incunctanter tranſcriberetur? Ita ſanè id æquum eſſet, ac conſequens. Quoniam verò nova licet pro *Eucherio* altero ſententia magis forſan penes aliquos invaluit, quam ut ad alia extrema citò conveniant: aſſenſum, ut illi cohibeant per nos licet, donec alios teſtes indiceſque per ſaturam protulerimus qui unicum Eucherium cognoſcentes, & prędicantes cordatum quemque, nec pręjudiciis circumventum cum iiſdem cenſere cogent.

Nota Car. Anſelmii. [Has conjecturas opt. & dilectiſſimum nobis fratrem non feſelliſſe, arguit, quæ nuper Francorum, Gothorum, & Burgundionum, ad hęc tempora, geſta relegentibus, occurrit obſervatio; ea nobis planè demonſtrare viſa eſt. Eucherium illum qui præfatis Conciliis ſubſcripſit nunquam fuiſſe Epiſcopum Lugdunenſem. Tunc enim advertimus illa Concilia Arelate celebrata, Carpentoracte, Arauſione, & Vaſſone, coacta eſſe in Regno Aſtrogothorum, & ex ſolis Epiſcopis Gothicę dominationis. Inſcriptio Conciliorum quę ſeu

Theodorici ſeu *Athalarici* annos præ ſe fert, rem abundè oſtendit, & ſponſores habet illius ævi hiſtoricos, penes quos conſtat circà exitum ſæculi V. Gothos Arelati, eique parti Provincię quam infra Rhodanum, & Druentiam mare alluit, eſſe dominatos: vertente verò circiter anno inſequentis ſæculi X. Burgundis debellatis, acceſſiſſe Gothis cum Francis adverſus Burgundos fœdere ſociatis, ſuperiorem partem Provinciæ, ubi præter alias civitates Carpentoracte, Vaſio, & ab his contermina Arauſio, quibus in civitatibus ea Concilia habita ſunt, ut egregiè obſervat ad illum annum Francorum Annaliſta.

Aſt tum Lugdunum in ditionibus Burgundorum erat, neque unquam Oſtrogothis paruit: ex quibus colligimus *Eucherium* illum qui Synodis Arelatenſi, Carpent. Arauſicano, & Vaſſenſi in regnò Gothico ſubſcripſit, nunquam aſſediſſe Cathedrę civitatis Lugdunenſis quę tunc ſuberat Burgundionibus, inter quos, & Oſtrogothos quæ in temporibus inerant ſimultates, odia, bella, certò certiùs obfuiſſent quominùs Antiſtes Lugdunenſis, gravioribus cauſis non urgentibus, ad loca remota, & recenter Burgundis ab Oſtrogothis uſurpata, inter ferventium armorum ſtrepitus accederet.

Præterquam quod regnorum diviſio circà illam tempeſtatem, Conventus Epiſcoporum

De Concord. lib. 6. c. 18. Galliarum ſæpiùs impediebat, ut notat illuſtriſſimus de Marca, cujus rei illuſtre ſuppeditat teſtimonium ex Avito Vienneſi p tito, qui anno DIII. ad Senatores Romanos ſcribens conqueritur per præfixos regnorum limites non licuiſſe Epiſcopis Galliarum, pro votis, & communi causâ Conventum agere: ſcilicet ex cunctis Galliarum Provinciis, alioquin Provinciæ, quæ uni regi parebant, conventus plerumque componebant; ſed abſque ulla permixtione Epiſcoporum alienarum Provinciarum, paucis exceptis Synodis mutuo Francorum Regum, qui tùm germani tùm conſanguinei erant, conſenſu ex omnium Galliarum Provinciis congregatis: verum ſi illas ſub ejuſdem ſtirpis Francorum Regibus demas Synodos, vix ullas reperias ſaltem in hoc ſæculo ac in iis partibus in quas diverſorum Regnorum Sacerdotes convenerint: nam quę anno DVI. Agathæ celebrata eſt Synodus tota omninò conſtitit ex Epiſcopis Provinciarum Gothicæ dominationis, & quæ Epaonæ, & Lugduni anno DXVII. habitę ſunt, conflatæ omninò fuere ex Pontificibus Regni Burgundici in quo illę civitates continebantur, neque ullus in iis reperitur Epiſcopus Gothicæ, aut Francicę dominationis. Igitur cum pariter certiſſimum ſit Lugdunenſem civitatem Burgundico Regno comprehenſam fuiſſe ad annum uſque DXXXIV. & civitates Carpentoratem,

Vaſionem, necnon Arauſionem ab anno DXXIII. ad annum DXXVI. uti & Arelatem Oſtrogothorum fuiſſe; exindè, inquam, ſequitur Patres illos qui Arelatem, Vaſionem, Arauſionem, atque Carpentoractum convenerunt, non eſſe accitos ex aliis Provinciis quàm quæ parebant Gothis; proindeque non licere comminiſci *Eucherium* his in Synodis ſubſignatum, illum eſſe Lugdunenſem Epiſcopum, quem laudant acta vitæ *S. Cæſarii*; quia nempe pro explorato eſt, tunc temporis Lugdunum non Gothis, ſed Burgundionibus, inter quos odia uſque ad internecionem exarſerant, obtemperaſſe.

Ex eodem argumento ampliùs roboratur fratris amantiſſimi de *S. Cæſarii* vitâ libri prioris depravatione judicium. Quamvis enim ſive per otium ſive per familiaritatem aliquandò licuiſſet EpiſcopoLugdunenſi, ampliſſimâ Diœceſi deſertâ, ad partes exteras commeare ut Cęſario ſuam Provinciam luſtranti ſe comitem dar·t; attamen quia illa itinerum per Alpes peragratio vix alio cum tempore componi poteſt, quàm cum eo quo Lugduno Burgundici, & Arelati Oſtrogothici Reges dominabantur: invicèm bellum fermè continenter gerentes, minorem fidem apud multos merebitur. Neque enim fas eſt exiſtimare hoſtes infeſtiſſimos paſſim conſenſiſſe, ut qui eorum alteri ſubdebantur Epiſcopi maximè in-

ſignium ac primarum Eccleſiarum Metropolitæ, ad alterius Regis ditionem pro arbitrio tranſmigraſſent.

Quod ſi tardiùs & ultrà annum DXXXVI. quo ex ceſſione Gothorum Arelatem occuparunt Franci, qui à biennio extincto Regno Burgundionum Lugduno potiebantur, ardua hæc Eucherii cum Cæſario Alpium luſtratio protrahatur, huic conjecturæ duplex nodus adeſt ſolvendus; ætas ſcilicet provecta Præſulis Arelatenſis longinquis peregrinationibus minùs apta, at quæ major obeſt difficultas ex tabulis oritur Lugdunenſium Epiſcoporum, quæ eo ipſo anno DXXXIV. quo Francis Lugdunum acceſſit, Lupum exhibent Epiſcopum, qui Concilio Aurelianenſi anno DXXXVIII. interfuit, cui Leontium, Leontio Sacerdotem, &c, ex ordine, & incontinenter ſufficiunt, nullâ relictâ intercapedine, cui *Eucherius* junior inſeri poſſit ante Cæſarii obitum, quem anno DXXXXII. aut III. ad ſuperos evolaſſe, apud omnes conſtat.]

SECTIO IV.

Teſtimoniorum, ac Teſtium probatorum recenſio, quibus unicus tantùm Eucherius *cognitus, & aſſertus fuiſſe demonſtratur.*

IN hac utique cenſenda teſtium nube, uti XVIII. dignitatis, & ſplendoris, ita, & vetuſtatis privilegio præire debet, ſacræ, atque inſignis Eccleſię Lugdunenſis ſuffragium, quæ unius duntaxat Eucherii nomen faſtis ſuis inſcripſit, uniuſque officium celebrat, & invocationem admittit: ut patet ex ejus Martyrologiis, ac Kalendariis nec id diffitetur Severtius in Præſulum Lugdunenſium hiſtoriâ, neque alii qui de his tractarunt Scriptores.

Ad aſſertionē pro unico *Eucherio* ſuper pondium ex antiquis teſtimoniis.

Lugdunenſi aſtipulatur Romanum Martyrologium quod unicum omninò agnoſcit *Eucherium* quem die XVI. Kal. Decemb. colit, eumque *nobiliſſimum Senatorem, admirandæ fidei & doctrinæ virum* prędicat; eique ſoli illa omnia accommodat, quę recentiores critici *in Juniorem*, quem nemo antiquorum novit, tranſcribunt.

Ex Kalendariis & Martyrologiis.

II. Omnes Epiſcoporum tabulæ junioris *Eucherii* nomine vacuæ, pro multis itidem teſtibus recipiendæ ſunt: & illæ quidem etſi probatam fidem non præferant; conſtat tamen

Ex dipticis & tabulis Epiſcoporum Lugdun.

Digitized by Google

inter eruditos, eas hactenùs magis judicatas eſſe copiâ ſuâ laborare, quàm defectu, & quoſdam inter hæc tempora ſubjici potuiſſe, ſubjectoſque eſſe Præſules, ex alienis ſedibus emendicatos, quales ſunt inter hæc tempora *Salonius*, Veranus, &c. At non ſecùs legitimos & proprios eſſe refectos. In iſtis autem *Eucherius* Lirinenſis ſuo ordine locatur, alter nec ſuo nec alibi uſpiàm apparet. Quorsùm enim iſtius memoriam celebraſſet Eccleſia Lugdunenſis, cujus nomen in tabulis ſuis non reperiebat? Poſt ævum autem juniori Eucherio aſſignatum celebrat cum ſanctitatis encomio catalogus immediatos ſibi ſucceſſores, *Lupum*, *Sacerdotem*, *Nicetium*, *Priſcum* & *Ætherium*, cur autem iſtis prior ac commendabilior Eucherius oblivioni traditus eſſet, haud ſatis perſpicitur.

Ex Scriptoribus univerſis.

III. Omnes Eccleſiaſticorum Scriptorum recenſiores unius Eucherii ſenioris meminerunt, eique quaſi, datâ manu, virtutum, ac doctrinarum elogium aptant, quo unus *Eucherius* Lugdunenſis in Martyrologiis ad XV. Kal. Decemb. cohoneſtatur, quod ſi alteri tributum eſſe fuiſſent ſuſpicati, ejus haud dubiè ingenii monumenta conquiſiſſent, aut ſaltem quidquam de ſuſpicione ſubnotaſſent.

Ex Iſidoro Hiſpal.

IV. Inter Scriptores autem *Eucherio* juniori non ſubpares modò, ſed penè coætaneos, obvius eſt *Iſidorus* Hiſpalenſis Antiſtes, quippè qui

qui obiit exeunte ſæculo ſexto, ante cujus medium floruiſſe ſupponeretur *Eucherius*: At ille nec iſtius ſcripta novit, nec nomen laudavit. Diligentior quidem, ac felicior in Lirinenſi noſtro celebrando, cujus & nobiliſſimum ingenii fœtum à *Gennadio* prætermiſſum deſcripſit. Talis eſt aureus noſter, ad *Hilarium* Arelatenſem de *laude Eremi* liber: pro quo legitimi Parentis juribus adſcribendo, nullum idoneum aſſertorem haberemus, niſi aut illius *Iſidorus* ipſe præbuiſſet indicium, aut opus ipſum omni alio indicio ſplendidius eſſet. At qui tantummodò poſt aliorum meſſem, ſpicilegium iſtud fecit Hiſpalenſis Epiſcopus, nil ultrà comperit, quod alteri Eucherio Lugdunenſi vindicaret.

V. Uſuardus qui Karoli M. juſſu Martyrologium concinnavit, exeunte octavo, vel ineunte nono ſæculo, unum *Eucherium* Lugdunenſem tabulis publicis primus accenſuit. *Ex Uſuardo.* Communem heic ſententiam ſequimur, quam impugnari ſcimus à Bollandi continuatoribus tom. 2. Martii in Præfat. ad *Bedæ* Martyrologium, ubi decernunt non Karolo M. ſed Karolo Calvo nepote, & anno DCCCXL. regnare exorſo, id operæ *Uſuardum* confeciſſe poſt annos circiter XVI. & ità intelligendam eſſe Autographi Pariſienſis nuncupationem ſic habentis: *Domino piiſſimo Regum Karolo*. Quod indè probant, quia ſi *Ado* Viennenſis poſt

Vſuardum Martyrologium ſcripſiſſet, ejus ſę-
piùs meminiſſet, cum è contrà verò nullam
ejus mentionem habeat, certum illis fit, eo-
dem tempore ambos Provinciam iſtam ſuſce-
piſſe, ſed hæc parùm ad rem conferunt.

Ex Adone Viennienſi.

VI. Quidquid ſit, *Ado* ipſe Viennienſis Ar-
chiepiſcopus inclinante nono ſæculo Marty-
rologium itidem ſcribens, cui aliundè res Lug-
dunenſis Eccleſiæ tanquam vicinæ, & conter-
minæ, perſpectiores eſſe debuerant; *Vſuardum*
tamen ſecutus, aut ipſi præludens, non niſi
unum Eucherium noviſſe profeſſus eſt; ſed ex
iſto id magis inſuper, ad res noſtras trahi da-
tur, quod in chronico ſuo ætate VI. anni
CCCCLII. *Eucherium* memorans, doctrinam-
que illius mirè commendans ſatis perindè in-
nuit de noſtro Lirinenſi ſe intelligere, quæ-
cumque in ſuo Martyrologio circà S. viri ad
Epiſcopatum Lugdunenſem, aſſumptionem
exageravit. Cur enim ſi iſtum diverſum ſen-
ſuiſſet, ſic in hiſtoria prætermiſiſſet? aut cur
utriuſque in faſtis ſuis non meminiſſet?

Ex Floro Lugd.

VII. Sed præ omnibus audiendus eſt hoc
ſæculo *Florus* Eccleſiæ Lugdunenſis doctiſſi-
mus Preſbyter, cui ejuſdem monimenta om-
nia præſto erant. Hic autem in collectaneis
de electione Epiſcoporum famoſam *Eucherii*
electionem, ex auctorum ejus, ut videtur,
fide deſcribens, id adjicit quo illam, *Eucherio*
Lirinenſi accommodari neceſſe ſit. *Quod de B.*

Eucherio, inquit, *præfata urbis Lugdunenſis Epiſcopo, & Doctore egregio ſanctiſſimæ ejus vitæ liber maſeſtè teſtatur impletum, qui cum eſſet ex nobiliſſimo Senatorum genere oriundus, &c.* At per iſtum Senatorem, doctoremque egregium *Florus* noſtrum haud dubiè Lirinenſem agnovit, qui relictis inſignibus doctrinæ ſuę monimentis, abdicato ſæculi faſtu, omniumque ore, litteriſque celebratus, doctoris egregii titulo decorari jure poterat, quod nec de altero dici, vel intelligi fas fuiſſet.

VIII. Petro Damiani, certè non alius ab iſto *Eucherio* doctor innotuit: ejus enim hęc ſunt verba: *Legite collationes Patrum quas* Eucherius *Lugdunenſis Epiſcopus elimato ſermone, abbreviare ſtuduit, & ſi nobis credere non vultis illius ſaltem litteræ credite: nam nos eo* Doctore *hanc paginam exaravimus.* **Ex Petro Damiani.** *Tom. 3. opuſ. 28. cap. 2.*

IX. Hæc omnia magis confirmat *Sigeberti* Gemblacenſis Abbatis luculenta teſtificatio qui Eucherium noſtrum florentem exhibens in chronico ad annum CCCCXXXV. eundem poſthac in lib. de viris illuſtribus cap. CLVIII. ſic in *Marbodo* Redonenſi reſumit: *Scripſit metricè paſſionem Thebeorum* (Marbodus) *quaſi pedibus vadens in ſententiam* Eucherii *Lugdunenſis Epiſcopi, qui eam urbanâ proſâ ſcripſerat ad* Sylvium *Epiſcopum.* At hujus paſſionis ſcriptorem, alium ab *Eucherio* ſeniori, de quo antea dixerat, agnoſcere non potuit *Sigebertus*, & ſi diverſum no- **Ex Sigeberto**

Digitized by Google

viſſet in chronico iſtheic, etiam eum à cognomine ſuo disjunxiſſet.

Ex Honorio. X. *Honorius* Auguſtodunenſis eodem quo Sigebertus tempore, hoc eſt, circà XIII. ſæculi initium *Eccleſiæ luminaria*, ſeu authores Eccleſiaſticos colligens, unicum inter eos *Eucherium* laudat. Quocircà cum *Sigeberto* confundi poterat *Honorius*, niſi ejus aſſertio quâ ſe tueri voluit *Baronius* pro duobus *Eucheriis* Epiſcopis ſtatuendis, ut mox notavimus, quid gravius pro unico contra eundem Annaliſtam vindicandò nobis conferret. Etenim ille Eucherius Lugdunenſis Preſbyter ab illo notatus, ipſe eſt *Eucherius* Epiſcopus cui collationum epitomen ex Gennadio adſcribit cum libris ad filios *Salonium* & *Veranum* datis: & ille quem dicit Epiſcopum, idem ipſe eſt quem ex *Iſidoro* Hiſpal. cujus iterùm verba mutuatur unius opuſculi *de laude Eremi* commendat auctorem: ecce igitur ludicrum *Baronii* ſubterfugium quia *Honorius* lib. 2. Gennadium ſequens, ac contrahens ad ejus cap. LXIII. corrupto ipſius exemplari uſus, pro Epiſcopo Preſbyterum exſcripſit, ut aliqui MSS. codices præferunt, hunc ipſe Annaliſta Preſbyterum ſeponit, quem ex præmiſſis, & conſequentibus pro *Eucherio* Lirinenſi præcognoſcere debuerat. Et cum recuſus lib. III. *Honorius Iſidorum* ſimiliter abbrevians eundem *Eucherium* Hiſpano Præſuli, celebrem Epiſcopum laudat in-

dè alterum imaginatur, & duos artificiosè conflat Eucherios. At & hoc pacto duos *Hilarios* Arelatenſes nobis exhibere tam illi liberum fuiſſet: namque quem ex Gennadio laudat *Hilarium*, *Honorius* lib. II. hunc ipſum ex *Iſidoro* ſublegit more ſuo prædicandum idem ſcriptor lib. III. cum è contrà non duos, ſed unum debuiſſet agnòſcere *Baronius*, *Eucherium* Lugdunenſem Epiſcopum: quandoquidem in confeſſo eſt apud omnes, magnum & nobiliſſimum *Eucherium* unicum eſſe illorum omnium operum auctorem quæ *Gennadius*, & *Sigebertus* memorant: nec enim præclaros hos fœtus alteri *Eucherio* aſſignant illi ipſi ſcriptores qui Th. Rainaudum abſque prævio examine ſecuti ſunt, uti *Sauſſæius* in Martyr. Gallic. *Cave* in Hiſt. Litter. &c.

XI. De poſterioribus Scriptoribus qui ab indè ſcripſerunt *Vincentio* Bellovacenſi in ſpeculo Hiſtor. cap. XX. lib. XX. *Trithemio* in Cathal. *Siffrido* Preſb. Miſnenſi in chronicis. *Petro de natalib.* ſeu Equilino in Catal. lib. X. c. XLVII. & aliis pluribus, qui omnes, aut unicum *Eucherium* Lirinenſem in Lugdunenſi Sede profeſſi ſunt, aut illi etiam quæcumque de electione *Eucherii* in Pontificem celebrantur uno ore tribuerunt, de his, inquam, nil in præſentiarum ulteriùs delibo ne ſim prolixior.

Ex poſterioribus per ſaturam ductis.

Ex his porrò jam claro clariùs elucet, tàm

XIX. Conſtans omnium traditio.

Lugdunenſem Eccleſiam quàm omnes antiquos, & recentes, ſive exteros, ſive domeſticos Hiſtoricos ac Chronologos, quaſi dato ſigno, in id conveniſſe, ut unum aſſererent Eccleſiæ Lugdunenſis *Eucherium* Epiſcopum, & hunc *Senatorem*, & *Doctorem egregium* divitem ſcriptorum copiâ, toti Chriſtiano orbi ſpectabilem. Quæ quidem fidâ perennique traditione, ſic â prioribus, ad poſtremos derivarunt, ut inter tales ac tantos ne unus auctor reperiatur, qui visâ quamvis aut delibatâ, quæ nunc adſcribitur *Eucherio* juniori hiſtoriâ, mirabiles tamen ejus eventus omnes ad Lirinenſem noſtrum incunctanter non retulerit, licet adeò diſſonis temporum periodis diſſitos, & cum iſtius vitæ avo tam pugnantes. In tantum illud inſederat ab antiquo, ſententiam firmam, ac certam eam eſſe, quæ unum hujus nomini Antiſtitem Eccleſiæ Lugdunenſi præſediſſe tradebat.

SECTIO V.

Etſi duos Eucherios *Cathedram Lugdunenſem occupaſſe liqueret, ſenior tamen* Eucherius, *ex iis quæ de illo certiſſimè conſtant, longè potiùs æſtimandus eſſet ſpeluncæ inquilinus, quam alter cujus omnia incerta eſſent.*

QUæ dum attentiùs conſidero, id etiam majus præſtare auſim quod ſi duos cognomines *Eucherios* extitiſſe liqueret, rebus ſic ut ſunt ſtantibus, hæc alterutrius in ſpeluncâ retruſio, Lirinenſi longè potiùs quàm alteri veniret aptanda: ſiquidem ex prçviis magnis, & inſolitis affectibus, ſimiles & conſequentes in re adhuc obſcurâ metiri congruum eſt. Quod ſi rectè procedit, rem omnem in *Eucherii* Lirinenſis partes idoneè traho, & momentis iſtis omnium maximis ita expedio. I. Quia jam explorata res eſt, *Eucherium* ſolitudinis ſtudio in inſulam Seronem ſeceſſiſſe, in eaque (ut ait *Paulinus* epiſtolâ ad illum datâ) *ab iſtius mundi ſtrepitu profugum* delituiſſe, quâ inſuper commendabili impotentiâ, ſic laboravit, ut non conjugem modo caſtis ornatam moribus; ſed & liberos totamque familiam hùc ſecum tranſire voluerit: ac demum *Salonium* ſuum, vix decennem eremum XX. Ulteriores pro unico *Eucherio* probationes.

Digitized by Google

ingreſſum inter SS. Lirinenſium manus, non ſolum *imbui*, *ſed enutriri* ſub *Honorato Inſularum parente*, procuravit, quæ jamjam magna ſunt ac genuina, converſionis Eucherianæ, quæ circumfertur, lineamenta.

II. Si à factis ad dicta decurrere licet gemmeâ noſtrâ *Eucherii ad Hilarium de laude Eremi* tractatio in iſtiuſmodi ſecretorum Myſteriis ac delineatione tota verſans, ultrò proderet auctoris cor, & affectum omnem ad illas latebras colendas converſum. Quid enim iſtis ferventius? *Hoc igitur Eremi habitaculum dicam non immeritò, fidei ſedem, virtutis arcem, charitatis ſacrarium, pietatis theſaurum, juſtitiæ promptuarium: Nam ſicut in magnâ domo pretioſa quæque clauſtris obſignata in remotis habentur, ità magnificentia illa ſanctorum abditorum Eremo quam difficultatibus ſuis natura obſervavit, deponitur intra quadam conclavi deſerti, ne converſationis humanæ uſus aboleſcat, apteque à mundi Domino hæc pretioſa divitiarum ſuppellex in illa mundanæ domus parte non ſolum conditur: verum etiam cum uſus eſt ex reconditis promitur.* Quibus quidem ſi ſuum magnificè ſtudium effudit, ſuam graphicè aut tum inhabitatam, aut mox inhabitandam ſpecum delineavit, futuramque ſortem bellè præſagit.

Quid enim Eremus illa *quam difficultatibus ſuis natura obſeravit*; quid, inquam, illa aliud indicat, quam inacceſſum hominum veſtigiis montem? Et iſta *intrà quodam conclavi deſerti*

ſerti retruſio, quid naturaliùs exprimit, quam alterum in ipſo ſolitudinis meditullio ſeceſſum, etiam in imis terræ viſceribus elaboratum? quæ ſunt ipſæ jam deſcriptæ latibuli Eucheriani lineæ.

III. Vis eas preſſiùs obſignatas? animadverte ad ea, quæ tam magnificè de ſolenni Eremicultorum ſtudio commendat. *In mundo*, inquit, *poſiti quodammodo extrà mundum ſunt.* In ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & in cavernis terræ, *nec immeritò, &c.* En quod ex Apoſtolicâ ſententiâ ſeligit, ac ſibi ſuiſque coaptat, quaſi certum ſolitariorum patrimonium. Tum ut *Hilarium* ſuum, alioſque ipſi ſimiles illuſtres viros, mundi contemptores clariùs deſignet, ſubjungit: *alieni ab illo Reipublicæ humanæ tumultu, ſepoſiti, quieti, ſilentes, nec magis abſunt à voluntate peccandi, quam à facultate.* Quem ſanè præcipuum *Eucherio* ſcopum fuiſſe cenſebit, quiſquis eum cum uxore & liberis in deſertam inſulam ſeceſſus, quietis, ſilentiique causâ transfretaſſe meminerit.

IV. Quòd ſi illius Eremi imaginem aliis coloribus expreſſam propiùs intueri volupe ſit, audiamus ipſum paulò anteà de hac pretio omnium maximo comparandâ ſolitudinis margaritâ ſic diſſerentem: *Meritò hanc ſanctus divino igne ſuccenſus, relictâ ſede propriâ ſedem legat. meritò propinquis, filiis, parentibuſque præponat, ſuorumque omnium commercio emat: meritò hanc geni-*

talem deſerentibus patriam, temporariæ Patriæ nomen obtineat. Ita *Eucherius* qui deſerti terram tanti emit, ſeipſum nolens rectè depingit: niſi forſan iſthæc de induſtriâ inſinuarit ad prævertenda eorum judicia, qui ſe nimio ſolitudinis zelo abreptum, & in eâ diligendâ modum neſciſſe reputarent. Sed ad iſtos penitiores ſenſus pleniùs explorandos tota penè quanta eſt retractanda foret epiſtola.

V. Quod de ſeipſo teſtimonium, tam exploratum dat *Eucherius*, tam ſimile eidem rependunt, qui probè illum noverunt: talis profectò cenſeri debet *Caſſianus* Maſſilienſis ejus amicus ac ſtudioſus, qui *Honorato* ac *Eucherio* ſeptem intermedias collationes ſuas nuncupans, iſta de noſtro prædicat in xi. Collat. proemio: *Tantâ illâ ſublimium virorum à quibus prima Anachoreſeos inſtituta ſuſcepimus laude flammamini ut unus, &c. alter verò* (Eucherius) *ut etiam corporali eorumdem ædificaretur aſpectu, Ægyptum penetrare voluerit, ut hanc quaſi frigoris Gallicani rigore torpentem Provinciam derelinquens, ad illas quas ſol juſtitiæ proximiùs reſpicit, terras maturis virtutum fructibus redundantes, velut turtur caſtiſſimus tranſvolaret ... Unde ut ſecundo tam periculoſæ navigationis neceſſitas demeretur, &c.* Quæ verba profectò non mediocrem conſiderationem merentur. Ex his enim procliviter cujuſque mentem pulſabit cogitatio, *Eucherium* quaſi tum in inſulâ fluctuantem, ac animi penden-

tem, de mutanda ſede jam deliberaſſe : quippè qui in ipſam Ægyptum majoris ſeceſſus ſtudio penetrare olim in animo propoſuerat. At homini ſic affecto, ne ſuis in totum deſideriis fraudaretur, pronum ſuaveque fuiſſe, vel exindè conjicitur, ex inſulâ in interiorem Eremum continentem *tantis*, ut ipſe loquitur, *naturæ difficultatibus obſeratum*, transfretare. Non mòdo autem illa, tantis naturæ difficultatibus obſerata eſt Eremus, ſed adeo quaqua porrigitur confragoſo, & Arenti ſolo hiſpida, ut neque colendorum olerum, neque agreſtium herbarum ferendarum capax, nullius uſpiam cupiditatem ſollicitaverit. Quæ ſane regiones ad ſolas Anachoretarum exercitationes à Numinis providentiâ deſtinatæ, omnia illorum ſtudia in ſe convertunt. Has graphicè depingit & commendat ſummus Anachoreſeos magiſter Abbas Abraham, magnos Anachoretarum laborum æmulatores ſtimulans his verbis : *omnem amœnæ habitationis gratiam devitemus, ſqualenteſque naturali amaritudine arenas, nullique ob idipſum juri dominioque ſubjectas, cunctis mundi opibus præponamus.* Quid autem *Eucherius* deſiderio ſuo opportunius ambire poterat hâc tellure, quę ad illud inſtituti ſic affecta erat? Unde cum hæ collationes emiſſæ ſint ante annum V. ſæculi XXVI. quo factus eſt Honoratus Antiſtes Arelatenſis, facilè crediderim Eucherium ſpeluncam ingreſſum eſſe cir- Coll. 14. cap. 12.

ca annum XXIX. vel XXX. quod in ſerie magis eluceſcet.

V. Hinc paulò poſt *Eucherius* tantus Eremi laudator ac cultor *Valerianum* propinquum ſuum ex mundanę glorię faſtigio, & de *negotiorum pelago in hunc profeſſionis ſuæ portum* invitat, hincque illud famoſum *Apollinis Sidonii* Epiſt. in lib IV. dictum *Eucherius ſollicitat* &, quod ſic appoſitè *Savaro* vir doctus ejus Scholiaſtes interpretatur: *omnes ad Inſulæ Lirinenſis Eremum invitat atque ſollicitat, &c.*

Ep. de contemptu mundi.

XXI. *Eucherianæ* converſionis acta II. *Eucherio* perperam aptata.

Ac jam jam ſi his poſitis, utriuſque *Eucherii* res ac fortunæ pendendę forent, ac diſtribuendę, nunquid Lirinenſi noſtro, pro quo tot tantaque indubitatæ fidei militant præjudicia, ſarta tecta ſuà ſervaretur & adſcriberetur ſpelunca, prę alio, cujus tam obſcura remanent, penes originis ejus aſſertores veſtigia? Quantò minùs igitur noſtrum nunc rememorari debemus aſſenſum, quando iſtius junioris geſta, non modo incerta, & vaga, ſed ſubjecta penitùs eſſe convincuntur? Quantò minùs, inquam, hærere poſſumus, ut planè credamus primis Eucherianæ converſionis actis adjunctos eſſe commentarios, qui primigeniam illius hiſtoriam interpolarunt, ac corruperunt. Nec mirum ſi quod aliis pluribus SS. vitę narratoribus advenit, quæ nimiâ interdum credulitate, vel audaciâ, ex puris ac genuinis, in falſas & informes fœturas

Digitized by Google

evaſerunt. Idipſum *Eucherii* deſcriptę primitùs converſioni factum advertimus: habent enim id proprium grandia iſtiuſmodi facinora, ut faciliùs & procliviùs fabellarum admiſtionem recipiant, ac tandem ſciolorum, & interpolatorum malam induſtriam excitent; quibus omnia pigmentis ſuis ornare conceptum eſt. Iſtis ſanè fucis atque malis artibus devenuſtata eſſe, quæ nunc omnium manibus teruntur *Retruſi* Lirinenſis acta, certum, firmum, ac peremptorium, ex altero deduci poterit argumentum. Si nempe in hocce partu nativas adhuc litteras deprehendamus impreſſas, quas à peregrinis & adventitiis, ita ſecernendi facultas ſuperſit, ut magni tandem *Eucherii* reducatur effigies?

SECTIO VI.

Eucherianæ *converſionis hiſtoria* Eucherio *juniori perperàm aptata ex genuinis, & præcipuis ejus capitibus, in ſeniorem tota refertur.*

ET primo conſpectu quidem inſignia aliquot mentem atque oculos feriunt, & arripiunt, interpolatæ ejus hiſtorię indicia, quæ ſeniorem *Eucherium* incunctanter reclamant: ut ſunt Patria, dignitas, conjux, commune utrique conjugi nomen, proles, affec-

In M. *Eucherium* ex veris nativis ejus characteribus idoneè revocantur.

Digitized by Google

tus, ſtudia, incolatus, &c. quorum aliqua in unum & alterum, forſan omnia ſimul in duos concurrere non poſſe videntur, ac

Ex dignitate. I. Eucherius ille *vir* aſſeritur ex *Senatorio ordine*; at & talis fuiſſe fideli teſtimonio proditur Lirinenſis noſter, qui ad *Valerianum* ſibi *vinculo ſanguinis alligatum* ſcribens eundem, *in maximos ſæculi apices patre ſoceroque elatum, illuſtribuſque ex utroque titulis ambitum* dum indicat, ſeipſum in dignitatis conſortium ſatis adſcripſit: unde & eum adhuc *Hilarius* prædicat *mundo ſplendidum*.

Ex patriâ. II. *Eucherius* iſte in hac noſtrâ patriâ Provinciâ degiſſe memoratur: noſtro autem tam ſe, quàm *Hilario* & *Paulino* teſtibus Lerone vel in proximo *Capo-ſulvo* monte domicilium fuit.

Ex uxore Gallâ. III. Hujus *Eucherii* uxori *Gallæ* nomen inditum, noſtri verò conjux *Galla* nuncupata nobis primùm perhibetur à coætaneo ſcriptore jam laudato S. *Paulino* Nolano in Epiſtolâ nuper repertâ. *Eucherioque* & *Gallæ* nominatim inſcriptâ, quod palmare novumque æquis lancibus ponderandum eſt. Nam ante repertam *Paulini* epiſtolam *Eucherii* uxoris nomen non compertum erat, niſi ex actis converſionis quæ in aliam fortunam detorquebantur: nunc verò ubi ſenioris *Eucherii* conjugem *Gallam* aliundè cognoſcimus novum ac indubitatum recuperamus indicem, quo acta illa in *Eucherium* M. retrahamus.

Digitized by Google

IV. Galla converſionis ſponſi particeps, ſeceſſuſque comes extitiſſe, ſeu ut habent acta, *pari ſtudio, atque propoſito uno in Dominum ſpiritu nexa*, nobis oſtenditur; at & ipſamnet *Gallam* Epiſtola memorata commendat *Paulinus*, quod hæc unà cum *Eucherio* Lerone reſiderent, *venerandi propoſiti operâ curantes, ac ſtudia exercentes in corde uno quo terreſtria reliquerant, cœlum petentes.* *Ex communi conjugum propoſito.*

V. *Eucherium* & *Gallam* porrò in ſolitudinem cum prole conceſſiſſe narrat pariter converſionis illorum hiſtoria; & ita prorsus citato loco benè precatur ſanctiſſimis conjugibus *Paulinus* cum benedictâ eorum progenie: *Benedicat vos Deus*, inquit, *ex Sion, eâ benedictione quâ benedicitur homo qui timet Dominum, perpetui conjuges & parentes cum benedictâ vobiſcum Deo progenie nobiliſſimæ ſanctitatis veſtræ*; jam vero ex ipſomet *Eucherio Salonium* Eremo *innutritum* notavimus. *Ex utriuſque [illegible]*

VI. Hic tandem *Eucherius* Provincialis, Senator *Gallæ* ſponſus cum eâ converſus, & cum eadem, ac liberis in dilecto ad remanſionem loco converſans ſpeluncam ſolus ingreſſus proditur; & talis, ac tantus Lirinenſis noſter ſimilibus in omnem partem geſtis præludit longus Eremi cultor, ac præcipuus Encomiaſtes: & adeò inſolitâ perfectioris Anachoreſeos *cupiditate flammatus*, ut Ægyptum penetrare tentaverit, poſtquam hæc Eremi interiora tabernacula *charitatis ſacrarium, & pietatis arcam, &c.* *Ex ſtudiis & affectibus.*

variis verborum conceptibus ac tropis pronuntiavit, ac complexus fuit: in hoc etiam deſerti deligendi conclavi ſeſe occuluiſſe omnium gentium, litteris, & linguis celebratur & extollitur: ab *Uſuardo*, à *Floro*, ab *Adone*, ab omnibus denique Martyrologiis quę eundem admirandæ fidei doctrinæque virum declarant; quæ poſtrema quidem in juniorem concurrere nequeunt, ut ſatis patet.

Ex Aſſumptione ad Cathed. Lugdun.

§ VII. Hic ipſe poſtremò ad Lugdunenſis Ecclesię thronum raptus perhibetur, & ſimili progreſſu Lirinenſem *Eucherium* factum hujus ſedis Antiſtitem exhibent nobis, ſed illum ſolum, ſacra ejus dipticha, Epiſcoporum tabulæ, & omnis ætatis ſcriptores commendant.

XXII. Reliqua narratio converſionis ex his capitibus componenda

Et in his quidem ſeptem ſingularibus præcipuiſque capitibus tota conſcribitur M. *Eucherii* converſionis hiſtoria. At ſi ejuſdem vitæ initia medium ac finis hoc prorsùs ordine conſequuntur, quorsùm pro alterius junioris narrationem commentaremur, quę tam conſtanter primigenia noſtri Senatoris lineamenta pręfert? Quod ſi inter iſtius ſeriem quędam reperta ſint, in quibus non æquè eniteant concordes geſtis iſtiuſmodi περιςάσεις ut hæ nec tam graves, nec tantæ ſint, ita (quod ſolenne eſt,) debent illæ ad pręcipuam hiſtoriæ fidem atque ſubſtantiam accommodari, non iſta fecùs ex ipſarum levibus offendiculis pendere vel periclitari, ſed ut jam animadvertimus,

Digitized by Google

vertimus, & quò magis res conſideratur, eò magis id recurrit inculcandum, ex duabus hiſtoriis unicum confectum eſt opus; & niſi nos fallunt oculi, lævaque mens fuerit ad *Eucherii* converſionis narrationem, omnium manibus, ac linguis jamdudùm verſatam alligare deinde ſtuduit interpolator, ſeorſim fortè datam *Conſortiæ* vitam. Id enim ille ſatis innuit, cum totam, ut patet, præcedentis hiſtoriæ ſeriem huic uni facit ancillari propoſito: quam ideò utique præmittit, ut hoc quaſi medio ad virginis geſta ſcribenda aditum paret. Quod iſtis verbis ſub *Eucherii* vitæ finem relatis, ita conteſtari clariùs videtur. *Et quoniam longum eſſet narrare omnia quæ per ſervos ſuos* Eucherium & Gallam, *& filiam eorum* Tulliam *Dominus mirabiliter operatus eſt, pauca de geſtis* B. Conſortiæ *referam, &c.* alia itaque allegat tanquam à primario ſcopo aliena. Iſta autem ex ordine ſcribere ſuſcepit, quibus majorem fidem, ut conciliet ea ex *SS. Fratribus* Uranio *Preſb.* & Celſo *Subdiacono, qui* Conſortiæ, *dum adviveret, adhæſerunt, nec non &* Aureliano *Preſb. qui uſque nunc ad ſepulchrum ejus Deo ſervit, referentibus, audiviſſe*, & accepiſſe tradit. Quàm frequens verò pronumque fuerit interpolatoribus recentes hiſtorias antiquis annectere, ut illis majorem fidem, & ſplendorem aſſererent magnis, ac crebris exemplis demonſtrari poſſet. Licet heic etiam idonea connaturaliſque cauſa

I

fuerit;ut filiæ acta patris geſtis conjungerentur.

XXIII. Interpolator duo tantùm inſignia vitæ capita ab actis *Eucherii M.* reſecat.

Cæterùm quod ad *Eucherii* vitæ ſeriem ſpectat, non video certè eam admodùm deformatam, & ſi quod ineſt adſcititium, id totum hauſtum videtur ex iſto *Conſortiæ* geſtorum inopportuno conſortio. Nam ut interpolatori conceptum erat ſanctam puellam à Lirinenſium finibus removere, & ſub alio cęlo collocare, neceſſe illi fuit, ut aliqua vitę patris actis inſpergerentur veræ hiſtoriæ repugnantia, & alia viciſſim convolverentur quę nobiliſſimę ejuſdem hiſtoriæ portio erant.

Pręcipua tamen hæc duo ſunt, quod I. admirandiſſimi juvenes *Salonius* & *Veranus* nobile par fratrum *Eucherio* filii aſſignari prætermiſſi fuerunt: quę auctoris præproperum in cenſendis *Conſortiæ* geſtis ſtudium produnt, quibus forſan pręoccupatus inſignem iſtam *Eucherii* vitę appendicem detruncavit. II. Gravius aliud eſt in quo conſarcinator adverſus omnium fidem ſcriptorum, primam atque unicam poſt remiſſum ſæculo nuntium *Eucherii & Gallæ* ſtationem non *Lerone, ſed in agro Aquenſi ad ripam Druentiæ* fuiſſe mentitur: quod aliûs generis fraudem pręfert in quâ cauſę compendium interpolatorem locare voluiſſe videri poteſt: cur enim alioquin ſolenne illud, ac tam celebratum, vel ab ipſo *Eucherio*, vel ab aliis *Eucherii viventis iter* ad inſulam, atque in illâ ſeu Lerone diuturnam cum *beatiſſimâ progenie* re-

Digitized by Google

manſionem in alienum ſolum convertiſſet? An fortè quia *Conſortia* ad quam unicè collineabat auctoris ſtylus, in Aquenſi diœceſi venerationem tum obtinebat ex occaſione tranſlationis ejus corporis, quæ ad pagum *Cucuronem* juxta Druentiam facta paſſim traditur? Inde illi viſa eſt cauſa ſufficiens ad quam *Eucherium* his in partibus deliteſcentem comminiſceretur? An quia accerſitę nobiles illæ, ſed fabuloſæ ſpecies de morte *Conſortiæ* amaſii ad Druentiæ ripam perempti, huc *Eucherii* domicilium pertrahere ſuaſerunt? alterum vel utrumque forſan huic auſui potuit anſam præbere, quod ulteriùs non perſequimur. Jam enim in tuto eſſe unius *Eucherii* cauſam confidimus ſupereſtque, ut in illius domicilii ſeu ſpecus poſitione penſiculatiùs inquiramus.

SECTIO VII.

Specûs Eucherianæ *poſitio in proximo Lirinenſibus inſulis monte, variis argumentis, & ſinceriſſimis ex indicibus ac monimentis figitur.*

XXIV. *Eucherius* haud coactus propter bella à Lirinenſium finibus recedere.

ETenim quia dubium oriri poſſet ne *Eucherius* poſt primam Lerone remanſionem alio tandem commigrare, & ad Aquenſis agri fines divertere voluiſſet, unde occaſionem arripuerit actorum innovator primam ſtationem

Digitized by Google

cum poſteriori confundendi, quia, inquam, iſtud in ſuſpicionem adduci poterat, videndum, utrum aliquo fundamento inniti valeat. Expendamus itaque diligenter propter quas cauſas vir ſanctus ſolum vertere, & in aliis caſtris quam Lirinenſibus mereri ſtatuiſſet. In his profecto rimandis *Chiffletius*, ut heic ſaltem interpolatori fidem conciliaret operam locavit operoſam; at omninò perdidit. Conjectat enim vir doctus *Eucherium* ex inſulâ *Lerone* incontinentem ad *Aquenſis agri ſpecum* tranſiviſſe, ob eas ipſas irruptiones Barbarorum in Phocenſis Provinciæ *oram maritimam ac vicinas inſulas quæ* S. Leontium *Forojulienſem Epiſcopum exiguo duntaxat freto à Lerino Inſulâ diviſum circa annum Chriſti CCCCXXXII.* (ut alibi probavimus) *Martyrem effecere.* Aut ſi magis placet, neque enim ſibi ſatis conſtat; illum Eucherii ſeceſſum in interiorem Provinciam refert ante annos VII. nempe CCCCXXV. quo *Arelas nobile Galliarum oppidum multâ vi oppugnatum eſt donec imminente* Aëtio *non impuniti abcederent*, ut ait *Proſper* in chronico, *Theodoſ. XI. & Valentiniano Coſſ.*

Hæc ille: ſed utramque occaſionem gratìs omninò excogitatam eſſe, paucis demonſtratur. Nam quod primò ad S. Leontii noſtri martyrium anni CCCCXXXII. ſpectat, id omne penitùs evertimus, dum Eccleſiæ Forojulii initia perſcrutabamur: ubi *Leontium* hâc pacatiſſimâ tempeſtate placidiſſimam mortem obiiſſe

pluribus momentis & auctoritatibus evicimus. Ad quæ auſpicatò acceſſit, ut nuper in vetus inciderimus Eccleſiæ noſtræ Directorium, in quo *Leontii* cultus ſub ritu *Confeſſoris & Pontificis* præſcribitur celebrandus. Quarum vocum inſignia veſtigia ſuperſunt, in variis membranæ licet eraſæ locis, quibus ſubjecta eſt recentiori manu vox *Martyris*. Tum eodem auſu hymni rithmici ſubſtituti ſunt, qui Martyrem prædicant. Ita luculentè fraus patet, quam non ante annos circiter CCC tentatam eſſe conjicimus. Ergo ex hâc ita confictâ occaſione Martyrii S. *Leontii*, nil pro *Eucherii*, ex agro Forojulienſi receſſu licet eruere. II. hoc anno CCCC XXXII cui Leontii agonis Epocha illigatur, vel ſanè ad ſummum paucos poſt menſes conſequentis XXXIII. S. *Eucherius* ad Sedem Lugdunenſem rapitur; igitur licet vera eſſet Martyrii fabula, vera non eſſet occaſio propter quam mutaſſet lares *Eucherius*, qui jam tum ſpeluncam erat ingreſſus, in eâque longiores, ut perhibent ejus acta converſionis, moras traxerat, cum ad infulas Lugdunenſes vocaretur. En prima ejus conſilii ratio disjuncta, in alteram inquiramus.

At ea quidem quæ civitatis Arelatenſis obſidionem attingit, licèt ad alterius vicem fictione non innitatur, minùs tamen veroſimilis haberi poteſt. Nam I. quorſùm illa Gothorum in Arelatenſes fines impreſſio anno CCCC-

XXV. tentata, *Eucherio* cauſa eſſe potuiſſet, ut ab Inſulâ Lirinenſi ad agrum Aquenſem tenderet, cum hæc xxv. leucis & ampliùs à caſtris hoſtilibus ſejuncta eſſet, quam locus ille Aquenſis territorii ad Druentiæ ripam deſignatus qui Arelatenſi fuiſſet penè conterminus? Undè quantò magis erat iſte periculis, & infeſtationibus obvius, tantò magis *Eucherio* tum conduxiſſet exin in Inſulam vel vicinam commigrare, ubi omnia tuta, & pacata erant. Namque Gothi non tunc ex Italiâ in Provinciæ noſtræ regionem Varo finitimam; ſed ex oppoſitâ Hiſpaniarum & Septimaniæ parte ad Rhodani amnis & Druentiæ fines penetraverant, ut Arelatenſem obſidionem ad exitum perducerent. Igitur hæ partes duntaxat bellico diſcrimini patentes, noſtræ ab omni metu immunes erant. Nec puto impreſſionem illam tanto terrori eſſe potuiſſe. Si ad eam reſpexit *Idacius* in chronico ubi ait: *per Aëtium Comitem haud procul de Arelate quædam Gothorum manus extinguitur* Anaolſo *optimate eorum capto.*

XXV. Ulterius probatur *Eucherium* in Lirinenſi tractu longas moras traxiſſe.

II Ex *Eucherii* luculento de Eremi laude tractatu, poſt annos duos ab hâc obſidione ad *Hilarium* Arelate revertentem dato, conſtat, quòd & pluribus alibi ſtatuit *Chiffletius*, opus illud Lerone ſcriptum fuiſſe, ac ſi cum ibidem *Eucherius* manſit, argumento eſſet, eum hùc ex agro Aquenſi commigraſſe ſi iſtheic uſpiam lares habuit,

III. Illam Eucherii in inſulis, vel adtiguo continenti remanſionem ſatis innuit *Caſſianus* ſuas ad Honoratum & *Eucherium* collationes intermedias dirigens; nam dum eos jam neceſſitudine invicem obligatos & communibus Anachoreſeos ſtudiis accenſos prædicat, abundè indicat illos domiciliis, non admodum diſſitis, inter ſe fuiſſe disjunctos. Id enim obſervavit adhuc Scriptor iſte, in poſteriorum collationum ſuarum editione, quam Præpoſitis Monaſteriorum, qui in Stæcadibus erant, quatuor omninò dedicavit.

IV. Imò jam ſuâ *Eucherius* ad Hilarium Epiſtolâ Lirinum pro ſuâ diſertè cognoverat; etenim ait: *Cunctis Eremi locis reverentiam debeo, præcipuo tamen Lirinum* MEAM *honore complector.* Quibus verbis recognoſci debet *Eucherius* ſeipſum Lirinenſium inſtitutis addixiſſe, & ab eorum viciniâ pedem non retraxiſſe, cum Anachoreſim profiteri voluit, nam in ejus laboribus exercitabatur quo tempore ad Hilarium ſcripſit anno ut notavimus CCCCXXVII.

V. *Paulinum* jam Epiſcopum Lerone *Eucherium* cum *Gallâ* reperiſſe, & litteris conſalutaſſe, venerandi propoſiti opera curantes, & ſtudia exercentes ſuperiùs obſervavimus.

VI. Quod autem ibidem vel in proximo monte perſeveraverit egregiè confirmat *Eucherianarum* homiliarum trias à Lucâ *Holſtenio*,

Digitized by Google

nuper publicata, in quarum primâ *Eucherius* adhortationem habet ad Lirinenſes Monachos cum nondum eſſet Epiſcopus. Eos enim ſic affatur: *Manendum eſt in hoc eodem loco, ut tenentibus nobis quod tenemus, non alii coronas noſtras accipiant.* Ex quibus profectò ſe Lirinenſium ſodalitati adſcitum prodit, manifeſtatque quo ſenſu Lirinum *ſuam* alibi dixerit. Homiliam illam porrò ante adeptas inſulas ab *Eucherio*, ut notavimus, recitatam etſi ſatis evincant adducta verba, ſubſunt adhuc alia, poſt ejus finem, quæ rem evidentiùs oſtendunt. Ea quidem præcedentibus contexuit *Holſtenius*, quod ita procul dubio legeretur in Floriacenſi, quo uſus eſt MS. codice. At diverſi auctoris opus eſſe res ipſa clamat, eſt enim in his pii Monachi cento, qui *Eucherii* paræneſi mirè affectus, conceptum ſuper hoc ſuum ad membranæ oram ſignavit, quem exemplator imperitus, ut fieri ſolet, cum ipſâ operâ confudit. Sic namque philoſophatur commentator: *Salvator noſter loquitur*: non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita, &c. *Rectè ergo tam illuſtris lucerna ſub monaſterii modio conſtituta ad Eccleſiæ tranſlata eſt candelabrum.... Exalta beatiſſime Pontifex, ſicut tuba vocem tuam: cælitùs ediſſere populis, revela quem in ſecretis effudiſti theſaurum tuum, &c.* Simili clauditur animadverſione conſequens ad Monachos homilia, poſt quam eodem textus tenore legitur: *hæc audientes* (Monachi)

nachi) tacitis ora lachrymis rigant, &c. Quod autem priſcus ille Paraphraſtes agnoſcat tam *illuſtrem lucernam à Monaſterii modio, ad Eccleſiæ candelabrum eſſe tranſlatam*, apertè indicat *Eucherium* iſtam ad Monachos homiliam recitaſſe, antequam renuntiatus eſſet Epiſcopus. Quod verò ſubjungit de Theſauro quem in ſecretis effudit, haud ineptè rursùs alludere poſſet ad illa penitiora Leronis vel montis adtigui ſecreta, quæ præcipuè coluit *Eucherius*, & à quibus non niſi raro dilapſus eſt, ut *Lirinum ſuam* reviſeret, beatorumque inſulanorum aſpectu, & colloquio refovendus eos invicem refoveret. Quod autem S. Orator iiſdem inculcat: *in hoc eodem loco manendum, &c.* Satis etiam innuit hanc in eodem loco ſtabilitatem ſummo ipſi in ſtudio ac pretio fuiſſe.

VII. Eundem verò ex Lerone inſulâ, ad propinquam Lirinum divertentem, & in hoc eodem loco ſeu tractu perſeverantem nobis egregiè retractat *Hilarius* ipſo an. CCCCXXIX. quo ſuum in *Honorati* obitu luculentum ſermonem recitans ait: *unde æmulus ejus* (Honorati) *virtutis* Eucherius *in proximâ ab ipſo degens inſulâ. &c.* quæ fortaſſis ad præteritum etiam tempus referri poſſent, niſi quæ præeunt, & mox conſequuntur, rem præſentem determinarent.

VIII. Namque uti Arelate *Hilarius*, ita Lirini in *Honorati* funere peroravit *Eucherius*,

oratorum ſane par nobiliſſimum. Iſte porrò poſt eximiam, & numeris omnibus conſtantem inſtitutam comparationem Arelatenſes, inter & Lirinenſes *Honorati* præſentiâ alterius vicibus cohoneſtatis, & illos quidem nunc exuviis corporis locupletes, hos virtutum animâ, meritiſque adauctos inde ſubjicit, quod Lirinenſis inſtitutor *tanquam alter Moſes per felicem ducatum Eremi pateſecit ingreſſum, Apoſtolicæque regulæ præcepta ex utroque compoſita teſtamento, velut duas tabulas detulit de inſtitutione Ægyptiorum Patrum tanquam de monte virtutum.* Quam de inſtitutione Ægyptiorum Patrum ſuſceptam diſciplinam ideò refrico quia ad *Eucherii* venam heic internoſcendam magis conducit, qnippe qui aliàs in epiſtolâ ad *Hilarium* iſtud argumenti prçoccupaverat, dum eundem *Honoratum* exquiſitis laudibus proſequitur quòd ejus opera jam exhiberet Lirinum: *SS. ſenes illos qui diviſis cellulis, Ægyptios Patres Galliis noſtris intulerunt.* Jam verò eum obiiſſe *Honoratum* anno CCCCXXIX. certa doceat chronologia, reſiduum eſt, ut hoc etiam tempore *Eucherium* Lirinenſis tractus cultorem agnoſcamus ac veneremur.

IX. Denique quod ante me notavit (*Theoph. Rainaldus,*) in eodem ſeceſſu ſcripta eſt altera ad *Valerianum* epiſtola, quò prior ad *Hilarium* ab eodem *Eucherio* miſſa fuerat. In illâ ſiquidem *Valerianum* ad chriſtianam philoſophiam

Digitized by Google

& ſęculi contemptum invitat exemplo *Hilarii* ad religioſam vitam nuper converſi. Habet autem: *De pelago negotiorum tuorum velut in quendam Profeſſionis noſtræ portum proſpice, proramque converte: unus hic portus eſt, in quem nos ab omni fluctuantis ſæculi jactatione referamus.* Sic enim anteâ de Lirino dixerat: *hæc procelloſi naufragia mundi effuſis piiſſimis ulnis, receptat* (*vel*) *receperat venientes, &c.* At heic ita ſemper ad hæc alludens proſequitur: *Heic ſtatio fidiſſima & quies certa; heic latè receſſus excluſis fluctibus ſilet. Heic blanda tranquillitas ſerenum renidet. Huc cum fueris delatus, tutò navis tua poſt inanes labores, heic ad Chriſti anchoram fundata retinebitur.* In his certè ubi profeſſionis ſuæ portum *Valeriano Eucherius* indicat, haud dubiè Lirinum intelligit, & illa tam affectata mentio *portus, fluctuum, jactationis, procellarum, ſtationis*, tranquillitatis, *ſereni, navis*, & *anchoræ* inſulas prodit aut adtigua Lirinenſium ſecreta ad quæ navigio tendebatur, & quorum ſe heic inquilinum rursùs inſinuat. Cum verò illam epiſtolam anno CCCCXXXII. ab *Eucherio* dictatam inter eruditos conveniat,, & rursùs hoc vel ſequenti anno cum ad Cathedram Lugdunenſem raptum eſſe certâ chronologiâ deducatur; conſequens eſt, ut fateamur ipſum, continenti mora, & uſque ad delatas inſulas, noſtrâ in regione permanſiſſe.

Verùm ſi nullâ ex parte occurrere potuit quamobrem *Eucherius* inſulam aut interjacen-

tem oram deſeruerit, cunctaque ex adverſo ſtabilem ejus in hocce tractu remanſionem determinent, ecce iterùm explorata fraus impoſtoris ad hoc unicè intenta, ut pro Lirino & Lerone vel his vicino *Capo-fulvo* monte *agrum ad Druentiæ* ripam experitè ſupponeret? nam ſi marinam ſtationem vel obliquè pro primo Senatoris converſi domicilio deſignaſſet, verebatur homo planus ne ſuę confeſſionis indiciis quibuſvis aliquando proditus ad veræ hiſtorię ampliorem indaginem legentes excitaret. Quod ut omninò prçverteret ſilentio rem penitùs obvolvere tutius credidit. At quanta quæſo ſupinitas hominis? quanta de ſuo auſu fiducia, ut ſibi perſuadere potuerit *Eucherii* ſeceſſus locum, ipſiuſmet *Eucherii* ſtilo tam ſplendidè ſignatum, *Caſſianique*, *Hilarii*, *Paulini*, aliorumque delineatione, aut prçconiis celebratum ex facili poſſe diſpungi & aliò locari? Porrò infartorem ſcripſiſſe aut potiùs fædaſſe narrationem ſuam circa annum DCC. conjicit Chiffletius. At niſi rem indicent MSS. Codd. quos non vidi, hominis hebetudo quid poſteriùs denotare videretur.

XXVI. Specus *Eucherii* in MonteCapofulvo Lirino adiguo.

Cæterùm cum hęc *Eucherii* retruſi hiſtoria intemeratæ ſit fidei, quam utique omnia Martyrologia. *Romanum*, *Uſuardi*, Adonis aliaque innumera probatæ auctoritatis documenta jam excuſſa reddunt certiſſimam. Conſentaneum eſt, ut ejuſdem ſpecus aſſignetur poſitio hoc

in ſolo quod perſeveranter incoluiſſe tam variis ex monumentis perhibetur. Illud verò ſolum aliud non eſſe ab Lerone inſulâ, vel contermino *Capo-fulvo* monte jam evicimus. At quod in iſto monte ſeu territorio collocari debeat plura faciunt monumenta è quibus præcipua cenſemus iſta. I. Quia Lugdunenſis Antiſtes hujus ſeceſſus deſiderio præ aliis exarſit, & ad ejus opportunitatem totus converſus eam in quietis ſuæ locum jjamjam praelegiſſe videbatur, ubi deſcriptionem illius tam eleganter inumbrat, atque celebrat in ſuo ad *Hilarium* de Eremi laude libello. II. Specus ipſa eodem in monte conſpicua, & in imis viſceribus rupis naturaliter effoſſa ſat illam quæ in actis delineatur exhibet, quanquam talem prorsùs fuiſſe alii Scriptores haud teſtentur, ſed ſimpliciter *Eucherium* in ſpeluncâ retruſum declarent. At nec alia in toto montis ambitu deſunt iſtiuſmodi latibula SS. Anachoretarum habitatione conſecrata, quorum unum vel plura colere, noſtro liberum fuit. III. Sacrum quod vocitamus Antrum *S. Eucherio* poſt *S. Honoratum* pro domicilio ceſſiſſe vetus apud Noſtrates traditio eſt, quam juvenes admodùm à viris è Clero præcipuis ex Majorum aſſertione teſtimonium perhibentibus accepimus. IV. Supernæ coruſcationes quibus pii advenæ locum iſtum religiosè luſtrantes ſæpiſſimè perfunduntur, continuò ad præpotentem *SS. Ho-*

Digitized by Google

norati, *Eucherii*, *Capraſiique* tanquam peculiarium olim ſpecus inquilinorum interceſſionem apud Chriſtum referuntur. V. Ibidem porrò B. rerruſum inter ipſa ſuæ ad Lugdunenſem Cathedram aſſumptionis tempora permanſiſſe gravis inde conjectura deduci poteſt, quod *Salonius* filius ejus natu major, poſt primam ab *Hilario* acceptam Lirini inſtitutionem, traditus eſt excolendus & conſummandus *Vincentio* quem tum ab eâdem Lirinenſi inſulâ à quâ nomen ſortitus eſt in montem adtiguum ſeceſſiſſe, ibidemque commonitorium adverſus hæreſes elucubraſſe nuper ſubindicavimus, quod & alibi ſuo loco pluribus exequemur.

XXVII. Specus index ſed ſplendidus ex actis *Eucherii* primùm erutus.

Sed hæc omnia quantumvis gravia, leviſſima videri poterunt, ſi cum illo componantur obſervato recenter tractus illius indice perinſigni, cujus nomenclaturam adhuc retinet hodierna dies actis Eucherianæ converſionis non modo conformem ſed prorsùs eandem. Docet enim pars illorum prior in quâ *Tulliæ* recluſi *Eucherii* filiæ mors ac ſepultura deſcribuntur, docet, inquam, terræ mandatam eſſe B. Virginem in agro paterno qui dicitur THELE. At ad Capo-fulvi montis radices, orientem versùs ager porrigitur qui huc uſque eodem THELE nomine audit vernaculis noſtris *Theole*, nautis autem ac piſcatoribus, quòd mari etiam alluatur *Cap de Theole*:

ſingulare autem eſt tot retro ſæculorum lapſum, qui hujuſmodi denominationes pervertere, & labefactare conſuevit, iſtam adeò integram illibatamque ad nos tranſmiſiſſe.

Peremptoria ſanè cenſeri debet tanti proditio indicii, quod quaſi miraculo tandiu ſervatum diceremus, ut fraus tandem aliquando pateret interpolatoris, cujus majori providentiâ ſors illa fuit, ut quâ manu volens ſuam fabricatus eſt machinam, eadem nobis arma nolens conflaret, quibus eam penitùs dejiceremus. Ex his verò id amplius edocemur, quod uti cum uxore, & beatiſſima progenie Lerone degebat Eucherius, ita tranſitu ad montem adtiguum facto, familiam ſuam ibidem comitem habuit: ſed filias præcipuè *Conſortiam* & *Tulliam*; quandoquidem iſta defuncta ſepulta eſt in agro THELE contermino qui aptus ad earùm domicilium locus eſſe potuit, quippe qui longè minùs auſterus eſt quam aliæ Capo-fulvi montis ſtationes. Rursùs verò quemadmodum ad iſtum *Thele* nuncuptum agrum acta converſionis adducunt, ita etiam ſubindicant *Eucherio* latibulum in iiſdem finibus conſtitutum, ubi præferunt B. Eremitam illud habitaculi *in agro ſuo* delegiſſe. Quæ profectò reſpectum habent ad ea quibus in iiſdem actis *Tulliæ* ſepulchrum *in agro ſuo* ſimiliter memoratur elaboratum. Sed neque citra hæc, ſuaderet ratio paſſos eſſe *Eucherium*, &

Gallam, natas jam adultas ab eorum latere conſpectuque fuiſſe divulſas.

Atque hinc evidentiùs apparet, quod jam ſubolfecimus, malam nimirùm interpolatoris fidem ei unicè collineaſſe, ut Aquenſem agrum Forojulienſis loco ſubjiceret, aut ſaltem Druentiæ fluminis interpoſitione hiſtoriam temeraret. Namque præſtant alii Aquenſem agrum pro quocumque Provinciæ agro rectè deſignari potuiſſe: ab ipsâ utique Aquenſi Metropoli quæ in veteribus interdùm actis toti regioni Cis-rhodanæ nomen dediſſe legitur. Sed non propterea Druentiam ad Forojulienſes fines meare compellent, viginti circiter leucis ab hinc ſejunctam.

XXVIII. Alii duo Eucherianæ ſpecus fines

Hęc porrò tam palmaria pro vindicandâ legitimâ ſpecus *Eucherianæ* poſitione, ex probatiſſimis teſtimoniis, vel ex primis & magis genuinis, converſationis ejuſdem commentariis deprompſimus, quæ forſan prudentem quemque nulliſque pręjudiciis affectum continuò pertrahent. Si quis tamen heic moroſus, alio, regionem iſtam excurſu, luſtrare vellet, antequam de re decerneret haud abnuerem. Quod enim fieri amat, ut in finium exploratione unus index ad alterius notitiam perducat, eveniet forſan, ut *Thele* ſitu opportunè recognito, aliorum locorum veſtigia deprehendantur, quæ ex priorum luce reſplendeant, & iſtis viciſſim claritatem effundant.

Nam

Digitized by Google

Nam & hoc quidem mihi feliciter contigit in iſtis aberranti, vel de iiſdem alios conſulenti. Siquidem huc uſque proceſſerat ſtilus, & heic forſan ſtudium conquieviſſet quandò ad me inſperatò venit Eremita *Capo-fulvi* montis, homo pius prudentiam tamen evangelicam ſimplicitati conſocians, quocum mea hactenus congeſta communicando, eximiè ſupplevit hac in parte, quæcumque meam diligentiam fugerant. Ut enim frater *Laurentius* (religioſi cucullati nomen eſt) probavit inprimis tanquam genuinam receptiſſimamque *Thele* poſitionem, ita in his me conſtitiſſe perdiſcens, incunctanter memoriæ objecit in ipſo *Thele* conſpectu, mediâ & peramenâ convalle aſſurgere montem Martini, quem montem Martium vel Martis pro *Eucherianæ* ſpecus loco deſignatum eſſe ſubjecit in ejuſdem converſionis actorum parte primâ. Non infelici obſervatione quidem, nam & levis eſt immutatio, & facilè vel ex monte *Martino*, mons *Martius* derivavit, vel quòd credibiliùs eſt mons *Martius* à *S. Martino* propter loci reverentiam, proclivi admodum converſione nuncupari debuit. Quanquam ubi de *S. Martino* fit mentio, non alter à Magno Turonenſi occurrat, qui velut Monaſticæ in Gallis profeſſionis auctor meritò à Lirinenſibus peculiari etiam veneratione coli potuerit, quod in Gallinaria vicina Lirino inſula ſolitariam vi-

tam exercuerit, magniſque virtutibus nobilitarit: etſi, inquam, tot nominibus *Martinus* noſtris charus, ac venerandus tantum eſſe potuerit, ut ab ejus nomine *Martium* Montem *Martinum* dixerint: vix tamen mihi tempero quin credam hanc nomenclaturam à *S. Martino* Lirinenſi originem obtinuiſſe, *Martinum* illum dico qui regente *Fauſto* Lirinum Anachoreſin hoc in Monte profeſſum eſſe alibi fortè demonſtrabimus.

Certè non longè ab hoc monte *Martino*, ſeu *Martio* deprehendo montem *Mercurii* unum ex terminis dominii à Villelmo I. Provinciæ Comite Eccleſiæ Forojulienſi conceſſi vel reſtituti ante annum milleſimum. *Conſortes de uno latere* (habet charta) *mare magnum, caſtrum Gorgia* (ubi portus Gorjuan è regione Thele, versùs Antipolim) MONTEM MERCORI *&* *de uno fronte flumen Ciagna, de altero, &c.* Heic pervident regionis periti Forojulienſium & Antipolitanorum fines, & in ipſis *Mercurii* montem jam deprehendunt; quo magis ad montem *Martium* dignoſcendum adducimur.

Sed ne quid abſolutiſſimæ probationis deeſſet quod *Martis* montis indiciis jam prolatis non faveret; evenit denique ut inter iſtos ipſos agri Forojulienſis, & Antipolitani fines dei Martis cultum ac venerationem ſtabilitam deprehenderimus ex illuſtri veterique monumento nuper iſtheic effoſſo. Inſcriptio ex

lamine ænea inciſa quam aquas ſextias tranſlatam vidit in Sibonii noſtri muſæo Sponius Lugd. & excudi curavit in libello. *De ignotorum atque obſcurorum quorumdam deorum aris*: ſed cujus meliorem ac emendatiorem typum procurante U. C. Joh. Petro Rigordo Patritio Maſſilienſi neceſſario noſtro, & de litterariâ chriſtianâ Antiquariâ, ob datum nuper Herodis Antipæ nummum, & alias quæ apparat reconditæ antiquitatis bene merito tranſmiſit ad me vir incl. D.... *Begon* Rupellenſis tractus Procurator, ſeu Prorex & Togatus, & rei maritimæ Præpoſitus. Quas inter curas ità litteras colit ac promovet, ut iis paucis facilè accenſeas, *qui validiùs otium diligant & faciliùs ſufficiant negotio & magis quæ agenda ſunt curent ſine ulla oſtentatione agendi*. En igitur quam delineari curavit inſcriptionem.

VIC.I.I ⅄. MEIIA

MASS⅄E FILIA

MARTI. OLLOVbO

V. S. L. M.

Ex hoc ergo monumento ſatis ſuperque perhibetur Deum Martem ſub hac barbarâ peregrinatione oLLovbi non *olloudii* (ut perperam ſignavit *Sponius*) voce à Paganis noſtris ibidem cultum, & vota ſuſcepiſſe, ut in contermino Neruſiorum oppido ſub *Martis vintii* nuncupatione religionem extorquebat. Quod ad noſtrum verò nullo validiori argumento probari poteſt montem *Martis* in *Martinum* montem eſſe converſum, quàm quia Martis *Olloubi* veneratio heic invaluerat.

Porrò & poſt hunc à *Marte* & alterum à *Mercurio* montem nuncupatum, ut perindè probatior ſit adtigui Montis *Martii* deſignatio tertium ſtatim *Veneri* ſacrum obſervamus in ipſo littoreo montis ambitu, & ad alteram Ciagnæi fluminis ripam. Ille namque ab arâ percelebris quæ heic locata erat, quæque ab ea hucuſque audit Ara-lucus (non quidem ut putat Lirinenſis Chronologus) quaſi Ara-lucis: ſed verè *Ara-lucus* dictus eſt, propter lucum Aræ contiguum cum ſcilicet amplum, & denſum qui montem-fulvum obtegit & ab illo ſuâ vetuſtate, ac reverentiâ non diſſimilem, de quo alicubi Poëta cecinit.

Eſt vetus, & denſa præ nubibus arbore lucus
Aſpice: concedes numinis eſſe locum.

Sic enim affectos fuiſſe tam Romanos quam

Noſtrates, ut exiſtimarent lucis præeſſe Numina quæ adeòque ſingularem in illis hominum cultum expeterent. Clariùs & apertiùs eſt, quàm ut ullo Commentario noſtro res indigeat.

Sed ut noſtris magis conſiſtamus, heic Ara Veneri forſan dicata fuit, quod illa ſalo, ut fabulantur genita, venerationem in matinis finibus acceptiorem haberet, unde etiam *Venus Marina* nuncupatur juxtà quod F. Avienus indicat.

Veneri *Marinæ conſecrata eſt Inſula,*
Templumque in illa Veneris.

Opportunior autem huic dedicationi collis iſte cenſeri poteſt, quod meliori ſolo conſtans Myrtheta gignat, iiſque paſſim eſt conſitus. Arbuſtum verò iſtud Veneri ſacrum nullus neſcit; cum ab eo Venus adhuc Myrtia nuncupata ſit, & eo ſub nomine Romę vetus ara illi poſita fuiſſet: de quibus conſulendi *Plinius* & *Plutarchus* qui pluribus inveſtigant quamobrem Venus Myrthia, Martea poſthac dicta ſit.

Plinius, l. 15, c. 29. Plutarch. de Quæſt. Rom. Quæſt. 20.

Ut ut fuerit, & quamvis ex occaſione Ara illa Veneri dicata credatur, hæc ſola *Martem* nobis heic quæritandum ſuggeſſiſſet, ſi ex aliis indicibus ibidem non innotuiſſet. Siquidem illos conjungere ſolebat Antiquitas ob

Digitized by Google

notum amorem, & adulterium, & quę illud conſecutę ſunt catenas, ad quas inter Noſtros alludens *Prudentius* venuſtè canit.

Deos catenæ colligant adulteros.

Juvenalis verò eam conjunctionem ſic exprimit.

Quam ſi nos Veneris *commendet epiſtola* Marti.

Eos verò cur ita pertinaciùs ſociarent, ac religioſè venerarentur Romani, peculiaris hęc ratio eſt, quod ad ipſos originem ſuam referrent: quippe qui commenti ſunt ex eâ, & *Anchiſe* natum Æneam. Quam tamen fabulam ſic procuderant, ut ejus etiam pars fuerit ipſe *Mercurius*, cui propterea officium incubuit *Venerem* ad *Anchiſem* in Ida monte decumbentem deducere ut cum ea congrederetur: ut plenam rei fidem faciunt nummi hac repræſentatione ſignati, quorum unum *Roſinus* exhibet. L. 1. c. 10.

Rursùm igitur *Venere* ac *Marte* in hocce territorio compertis, iiſque veluti denuo colligatis, & catenatis *Mercurium* itidem in chartæ fragmento ſuperius relato ſignatum heic offendimus in arcano Romanorum Myſterio duobus adulteris adjunctum. Quod etiam Præfati inſtrumenti noſtri fidem roborat, quanquàm aliundè *Mercurii* cum Venere ſocietati

aſſeri etiam poteſt auctoritas, ex his quæ notat Plutarchus circa Priſcorum morem, qui *Mercurium* juxtà *Venerem* conlocabant ſemper cujus & moris alias ibidem rationes adducit. *In Præcep. conjug.*

Quidquid ergo noſtra in regione ex certis indicibus & documentis de contiguis montibus *Martis*, *Veneris* & *Mercurii* ſacris indigitamus, id omne hiſtorię vel Mithiologiæ monimenta ſincerum declarant: adeò ut quod inter Antipolitanos ac Forojulienſes terminos expanſum oſtendimus, probati nummi contractum reprçſentent, & rem uti notiſſimam uſitatiſſimamque convincant.

Quandoquidem ambierant orientales Monachi ſedem religionis ibi altiùs defigere, ubi magis ethnica ſuperſtitio convaluerat, & celebriora delubra locaverat: ut injuriam ſupremo numini factam quadantenus ulciſcerentur, admodùm credibile eſt Lirinenſes conſilii gnaros, ejus etiam æmulatores extitiſſe: jam ſanè B. *Eucherius* Leronem inſulam delubri Leronis obſcuri rursùs numinis cujuſdam, à quo denominata eſt cultu inquinatam, habitatione ſuâ mundaverat. Unde nil mirum. Si quid ſimile volviſſet animo, cum ſe in interiorem penetravit Eremum cujus quantus erat ambitus, damnatæ religionis patens fuerat. Hoc certè facinore violatam, Arâ Veneris in adtiguo monte locatâ, Dei veri majeſtatem S. Nazarius poſteà vindicavit, Sodalitii virgi-

Digitized by Google

num inſtitutione, quam Baſilica Deo, ſub Sancti Stephani Protomartyris patrocinio, dicata nobilitabat.

Quidquid fuerit, ſi in hocce monte Martio Spelei *Eucheriani* ſitum rectè aſſignavit Actorum ejus interpolator, nil eſſet perindè quod noſtræ tantillùm officeret traditioni, quę in *Cappo-fulvo* monte foveam reponit: nam præter quam quod contermina eſt regio, & montes ita ſe invicem complectuntur, ut facilè unus alterius portio cenſeri poſſit, pro ut diversè ſpectabuntur, nulla prohibent quominus *Eucherius* modò in Honorati ſpeluncâ modò in alterâ finitimâ domicilium habere, & reclufum agere potuerit. Nam & *Macario* plures hujuſmodi cellas fuiſſe narrat *Palladius*. Ut ab aliis M. Antonii & aliorum ſimilibus exemplis congerendis abſtineam. Adeò quaqua verſùm res inſpiciantur, & contorqueantur; exurgunt, mentemque & oculos feriunt duo ejus præcipui in actis delineati germani fines & limites, ager ſcilicet THELE & mons MARTIUS quos ritè inſtauratos, velut ſacros, & inconcuſſos nulla forſan audaciolorum vel ſciolorum movere deinceps tentabit induſtria: nam & heic rurſùs deberet ineſſe religio *transferre terminos quos fixerunt priores in poſſeſſione ſuâ.*

Laus. l. 19 & 20.

XXIX. Secretorum Lirin. termini reſtituti. c. 10.

Quam præceptionem ne ſcientes tranſgrediamur erunt heic inprimis reſtituendi limites illi, quos incauti, & inſcii olim tranſtuleramus,

ramus, cum de *Forojulienſis Eccleſiæ* noſtrę initiis tractaremus : etenim cauſam iſteic inveſtigantes ob quam *S. Honoratus* Eremum ſecretaque Capo fulvi montis deſeruerit, ut in proximam è regione Lirinenſem inſulam tranſfretaret , eam allegare in mentem venerit, quod cum ejuſce montis radicibus ſubjaceret *via Aurelia*, quæ tranſitus erat è Galliis in Italiam, Fundator Lirinenſis ob nimiam euntium & redeuntium frequentiam lares mutare coactus fuerit. Hæc, inquam, fuerat perſuaſio noſtra, ſed erronea eſt. Nam tantùm abeſt ut *Honoratus* ex montis continente ad inſulam tranſiviſſet, ut è contra ex inſulâ ad montem ſeceſsûs arctioris ergo, deinceps contenderit. Quod in ſecretis Lirinenſibus fuſiùs tractamus. Fuerat quidem ad ima collium devexa deſtinatus olim *Aureliæ viæ* curſus cujus in citato libro erutum è milliario lapide veteris inſcriptionis fragmentum edidimus. At rebus maturiùs penſatis advertimus callem in infimis altiſſimi montis partibus elaboratum, viatoribus aditum præbere vix potuiſſe ad excelſa rupium, in quibus Anachoretarum ſpecus locatæ erant, tum propter nimiam diſtantiam, tum propter ſalebras ac prærupta quibus undequaque cingitur hæc regio. Præter quam quòd igitur haud poſſibile fuiſſet in has partes conſcendere, quæ vix poſt multorum retrò ſæculorum curas hominum illuc pietatis

M

Digitized by Google

ergo convenientium impenſis factæ ſunt utcumque perviæ: accidit etiam ut nuperrimè inſignia nobis occurrerint Antiquitatis monumenta, quæ demonſtrarent viam illam Aureliam, ex hoc tractu ad Superiores Boream verſus Stereli montes tranſlatam fuiſſe. Quæ tranſlatio facta videtur imperante *Conſtantino* M. hoc eſt circiter annum LXXX. antequam *Honoratus* & *Eucherius* ad oram Forojulienſem applicuiſſent. Eam verò ſingularem Hiſtoriæ noſtræ topographiam ne ignoraremùs, fecere trium milliariorum lapidum ſcriptiones quarum duę nuper detectæ ſunt in refectione ejuſdem viæ quæ à Stereli monte ad civitatem ducit, nam tertia in eodem curſu poſita nobis antea cognita fuerat. Prior autem lapis milliarius in columnam VI. pedum altitudinis excisus, & in mediâ viâ decuſſus id hactenùs legendum exhibet.

Ex Rom. inſcript. ibi nuper detectis.

CC· H

CÆS

FIL. VAL.

CONSTANTI

NO P. F.

AVG . . . :

: : . : :

AVG

NEPOTI

DIVI CONS

TANTI AVG

PII

FILIO

VIII

VALENTINIANO

ET VALEN-

GRATIANO

PCS POS.

Qui ſignatur heic numerus VIII. milliaria totidem ſeu paſſuum VIII. millia quæ ab hinc

ad urbem intercedunt, ſincerè prodit. Quæ verò conſequuntur *Valentiniano*, &c. ſubjecta videri merito poterunt; tum quod apices indiligentiùs exarati ſunt, tum quod milliari numeri deſignatio epigraphen claudere ſolebat.

En alteram quæ tribus ab hinc milliariis urbem versùs poſita in ejuſdem formæ altitudiniſque lapide ad montis ima devoluto hæc repræſentat.

ONTAN
TINO
: : TR : AVO
M AIORI
BVS IMPP
AV TO
CÆS NO
BILIS SEMP
ER ORB. T
ERRAE PRO
FVTVRO
V̄

Quæ ſimiliter æqua eſt intercapedo quam ab

hac poſitione ad urbem uſque numeramus.

Tertius lapis duobus paſſuum millibus ab hinc diſtans viſus eſt à me ante annos paucos, ſtilobatæ ſuæ adhuc inſidens nullâ inſignitus epigraphe. Hodie ſecus idem iter altero ab urbe milliari proſtratus jacet.

. Quæ tamen monimenta dubium omne amovent, quin veterem viam quæ vulgò *Aureliana* audit, longè ante *S. Honorati* ad Lirinenſium adventum, ceſſiſſe aſſeramus novę quæ his ſignata milliariis rectâ ad montes *Sterelli* pergit quamque propè civitatem magnifico jamdudum cinxerant aquarum ductu Romani Imperatores, & ingentis ſumptus & ſtructurę portâ terminarant. Quocirca montes Capo-fulvo adtigui & Lirino imminentes ſeu inſulæ viciniâ, ſeu concavis latibulis, ſeu aviâ publicâ receſſu, commodam & opportunam præſtaſſent *Eucherio* ſolitudinem.

Sed quidni eam ſuo conſecraverit receſſu, quis ampliùs ambigat (ut alios indices ſuperiorum ope reperire ſpem dederamus) exhibet ſe nunc in altera actorum parte quæ Conſortia acta deſcribit loci cujuſdam nuncupatio, quæ maximam cum altero ipſiuſmet regionis noſtræ territorio affinitatem, tot retrò poſt ſæcula ad hæc noſtra tempora devehit, ſcilicet narrat hiſtoria *Conſortiam* ſui juris factam *conſtruxiſſe Eccleſiam in agro ſuo* qui vocatur Matomicus, *in honore S. Stephani Protomartyris*,

XXX. Acta Conſortiæ ſpecus Eucherii alios indices ſuppeditant.

& Xenodochium ibi de rebus ſuis inſtituiſſe. Et ſimiliter omninò favente adhuc numine, ſuperſunt iſtius nomenclaturæ nobilia veſtigia, in latifundio perinſigni quod prominet, latèque ad orientalem plagam porrigitur è regione *Thele* cis fluvium Siagnæum; vocaturque in chartulariis poſt mediam ętatem ſcriptis *Mantolvocus* & *Mandolvocus* popularibus, hodie *Mandolvec.* Quę vocabula *Matomicus* & *Mantolvocus* magnam inter ſe analogiam referunt, ut facilè inter ſe interverti confundique potuerint per poſteriores pręſertim chartarios vel exemplatores, quę ad ſuę ætatis vulgaria quę jactabantur nomina dumtaxat intenti, ea ad primævum nitorem coaptare parùm curarunt. Ita confluentibus in has partes exteris barbariſque nationibus circa ſexti ſęculi finem eas deinceps variè exagitantibus, mirum cur non major nominibus deformatio contigerit, quam ea quæ heic advertitur. Nam adhuc integra, ſervatur quatuor quibus conſtat ſyllabarum commenſuratio in *Mantomicus* ac *Mantolvocus*, prima enim & ultima quæ ſonum & analogiam perficiunt eędem ſunt, nec in intermediis quid reſperſum eſt, pręter additionem litteræ L, aut ejus in N converſionem, atque I in O mutatum quæ patriis nominibus plerumque obveniunt depravationes pręcipuè ob Germanorum, & Aragonorum vel Catalaunorum quibus olim paruimus adventu, à quo forſan

In nomine regionis.

cœpit ex *Matomico* fieri *Mancolvocus*, ac *Mandolvocus*, *t* in *d*, ut fieri amat reſolutio.

Ex Eccleſia nuncupatione & Xenodochii dotatione.

At quid hęremus? ubi alii aliis ſplendidiores incurrunt indices, & ſubſequens prioris originem, ac ſinceritatem illuſtrat. Siquidem in hoc ipſo loco ubi Eccleſiam S Stephani conſtruxiſſe narratur *Conſortia* vetera monumenta ſub ejuſdem B. Protomartyris patrocinio Sacellum ædificatum evincunt,in colliculo ſcilicet Aræluci adalteram Siagnę fluminis ripam, & propè pontem, qui aut *Montomicus* ipſe,aut ejus appendix cenſeri poteſt. Scio quidem vitæ *S. Honorati* innovatorem, & ex eo *Vinc. Barralem* hanc S. Protomartyri Stephano dicatam Baſilicam S. Nazario *Maximi*, ut habet in Cœnobii regimine ſucceſſori tribuere. Sed quia in hoc maximè peccat interpollator ubi *Naſarium Maximi* ſucceſſorem facit, cum hic honos *Fauſto* ceſſerit, probabiliùs eſt ſequentia etiam intervertiſſe, & in his longè minùs depravatam Eucherii converſionis hiſtoriam eo magis complectendam eſſe quod præcedentium etiam auctoritate fulciatur.

SECTIO VIII.

Conſortiæ Eucherii filiæ acta illuſtrantur. Quâ ex occaſione in Maïoli Abb. Cluniacenſis, qui ſacra Virginis pignora Cluniaci depoſuit Patriam, ac Natales ulteriùs inquiritur.

XXXI. Fundatum à Conſortiâ Xenodochium adhuc ſuperſtes.

PORro heic oſtium adhuc aperitur amplum & nobile quo majora perſpectioraque contemplemur, fineſque ac indices noſtros penitùs figamus. Eccleſiam certè quam *in honore S. Stephani Protomartyris conſtruxiſſe* fertur *Eucherii* filia *in agro ſuo* qui vocatur *Matomicus*, jam ſummo Dei beneficio reperimus. Supereſſet nunc ut inquireremus de *Xenodochio* quod *ibidem* Conſortia *de rebus ſuis* inſtituiſſe collaudatur. At exploratu res facilis, quæ ad territorium Mantolvicum pedem ferentibus continuo ſub oculos cadit. Extat igitur hactenùs Xenodochii domus, & eo ſub nomine audit adhuc populares *Hoſpitale*, quin & Xenodochium illud florens atque opulentum poſt multa retrò ſæcula permanſiſſe inde convinci poteſt, quod tot hoſtes & bella quę in ſolum hoc noſtrum tam immaniter graſſata ſunt, quæque urbes ipſas ac caſtra munitiora deleverunt, hujus domus tamen reliquias eo uſque diripere non potuerint, quin poſt X. ſęculum

culum quo rurſus omnia pacata fuere, *Hoſpitalis* memoria denuo non revixerit, parſque altera latifundiorum quibus dotatum fuerat ad ejus dominium non redierit. Ita ſane res contigit, domuſque illa cum fundis & prædiis, ad Hoſpitalarios, quos vocant, *S. Johannis* Hieroſolymitani equites tranſiit; quæ hodie amplam componit appendicem commendatariæ (ut dicunt) Maſſilienſis, vocaturque *S. Johannes*, aut domus, vel *Hoſpitale S. Johannis.*

In hac porrò Xenodochii dotatione voluiſſe B. Virginem ſanctiſſimarum hujus ævi fœminarum exemplum æmulari, quæ ſimili munificentiâ, ſuum in pauperes & miſeros amorem teſtatæ ſunt, unuſquiſque facilè conjecerit. Inſigne ſane inprimiſque celebratum exemplum fuit nobiliſſimę Matronæ *Fabiolæ*, quæ in Epitaphio ab *Hieronymo* laudatur prima *omnium Romæ νοσοκομεῖον inſtituiſſe in quo ægrotantes colligeret, & conſumpta laboribus atque inedia miſerorum membra foveret.* Sed & Caſſianus de his ita ſcribit: *quoſdam Xenodochii, & ſuſceptionis pium delectat obſequium, per quod etiam in præteritis* Abraham & Loth *Domino placuiſſe ſcimus, & nuper* B. Macharium *qui Xenodochio apud Alexandriam præfuit, ut nulli eorum qui ſolitudinis ſecreta ſectati ſunt, inferior ſit credendus. Quidam eligentes ægrotantium curam, alii doctrinæ inſtantes, &c.* Ita *Caſſianus*, ad quem locum opportunè ejus ſchol. *Gazæus* Cap. 4. coll. 14.

N

ex quibus antiqua Xenodochiorum inſtitutio obſervari poteſt. Unde ordines Hoſpitaliorum nomen accepere. Quod ad noſtros etiam ſpectat hæc aut ſimilia miſericordiæ documenta *Conſortiæ* menti obverſata tum fuiſſe non abnuerim. At cur non in urbe, ſed in ſolitudine ad inſularis Cœnobii, & Secretorum Lirinenſium viciniam Xenodochium ſuum ędificare deſtinaverit, altioris conſilii ratio eſſe poteſt, quàm inveſtigare forſan juverit.

XXXII. Quo conſilio ad Lirinenſium fines ædificatum.

At equidem diſciplinæ Monaſticæ ſolemnis inſtitutio fuit, ut qui religioſum habitum induere vellent, antequam cœnobium ingrederentur, ſub unius ſenioris regimine curam peregrinorum ſuſciperent; quatenùs ex illis, quæ in hocce Monaſterio exhiberent, virtutum indiciis cęrtiùs dijudicaret Abbas, an ſuſcipiendo monachatui forent idonei. Audiamus hac de re *Caſſianum* de moribus Orientalium differentem, ad quorum normam ſua inſtituere Cœnobia noſtri contendebant: *Cum* L. 4. c. 7. *ergo* (inquit) *fuerit quis ſuſceptus, committitur ſeniori qui ſeorsùm non longè à Monaſterii veſtibulo habitans curam habeat peregrinorum, & advenientium ſibi injunctam, eiſque omnem diligentiam hoſpitalitatis & humanitatis impendit, quam ibidem, integro anno, abſque ulla quærela deſerviens, circa peregrinos ſuum exhibuerit famulatum, imbūtus per hæc omnia inſtructione humanitatis ac patientiæ, atque in ea probatus & cognitus... admiſcendus ex hoc congregationi*

Digitized by Google

fratrum, traditur alteri ſeniori, &c. Ex quibus jam habemus Monachos hoſpitalitatis exercitatione inprimis probandos. Quod ſatis evincit hoſpitium, ſeu Xenodochium, & hoſpitalis domum non longè à Cœnobiis conſtitui ſolita eſſe. Cujus quoque conſuetudinis ſplendidum habemus exemplum apud *Palladium*, *Lauſ. ſect. 6.* ubi loquens de Anachoretis qui ſunt in montis Nitriæ *vaſta ſolitudine, viri perfecti numero ſexcenti, ſubdit. In hoc monte propè Eccleſiam eſt Xenodochium in quo venientem hoſpitem, toto tempore accipiunt: etiamſi biennium, aut triennium voluerit manere.*

Si talis igitur in Cœnobiis rectè ordinatis mos vigebat, quid inpedit ut credamus Virginem Conſortiam ad Orientalium Xenodochiorum exemplar, ſuum illud pro ſuorum Lirinenſium Anachoretarum, & Cœnobitarum uſibus inſtituiſſe? Quo ſcilicet hęc eſſet ſtatio, quâ vel in inſulam, vel in ſecreta contenderent, qui ſanctorum viſendorum ſtudio tenebantur, viciſſimque in hac palæſtra mererentur, ac probarentur qui ſanctam profeſſionem appetebant: Hoc hoſpitium ſanè deſiderabatur propè Lirinenſes, quos videre, quos convenire, cum quibus degere non poterat eſſe paucorum ſtudium, & ſumma fœlicitas. Notum enim illud *Hilarii* magnificum *de Honorato*, & qui ad illum devotione fidei accedebant elogium quo ait: *Quis enim*

Digitized by Google

aliquando illum præteriret? quis non quamlibet proſperam navigationem, & quantumlibet ſecundos ventos, mox pro tanti viri deſiderio, commodi ſui contemptor abrupit? aut ſi inſulam tenere non licuit, violentum ſecundæ navigationis obſequium acerbiſſimam tempeſtatem computavit? Nemo illuc non feſtinus acceſſit, nemo illic moras ſuas ſenſit, & tunc primum agnitis tanquam dudum ſuis, enitentes, in ſqualore Eremi, delicias miniſtrabat: cum tanto omnes gaudio, & alacritate ſuſciperet, tamquam expectaſſet. Aderat præterea munificenti animo par ſubſtantia, pari fide, miniſtrata. Hæc piè atque eleganter *Hilarius* qui cum in ipſis inſtituti Lirinenſis ini-
Ibidem. tiis frequentem illum *ex diverſarum regionum vaſtitate concurſum* juxtaque *magnam* Honorati *erga advenas & hoſpites curam* ſic extollat, quid hic majus nobis conjectandum objicit, ubi beata congregatio novis in dies incrementis aucta, tot ac tantos S. Fundatoris alumnos, illius doctrinis & virtutibus imbutos conſummatoſque protulit: & præſtantiſſimos per omnes Provincias Sacerdotes erogavit. Quod cum
Eucherius. ævi *Conſortiæ* preſertim advenerit, tunc magis neceſſaria fuit hoſpitalis domus penes Lirinenſes ad quos longe frequentior noſtrorum, ac exterorum eſſe cœpit. Ædes verò illas in hac parte collocare longe opportuniùs ex quo puellare cœnobium in monte Areluco conſtrui cœptum: quod ſacrum hoſpitalitati domicilium pene medium eſſet inter Arelucum

Lirinum, & montem Capo-fulvum, ſeu Lirinenſium ſecreta; è quibus in inſulam tranſfretare liberum eſſet.

Providentiſſimè igitur pecuniam ſuam operi tam pio conſecravit *Eucherii* filia, quæ Sanctiſſimi Patris ſtudia conſectans *præcipuo* etiam *Lirinum ejus amore complecti* ſplendidè teſtata eſt, cum & in ejus vicinia vitam ſanctam egit, & effuſiſſimâ largitate *ſanctorum neceſſitatibus communicavit*. Quâ in parte nihilo inferior aliis credi debet qui ſua in urbibus Xenodochia fundarunt, quin potius in eo beatior exiſtimanda, quod inter Eremi *ſecreta* opes profundens humanæ laudis fumum magis declinare, & paternum propoſitum preſſius æmulari geſtiit.

XXXIII. Quid his ſuperſtruxerit, & commentus fuerit Lirinenſis interpollator.

Ad illud porrò Conſilii fuiſſe B. Virginem à *S. Nazario* ſtimulatam nil exiſtimare prohibet: ſi quidem illi ſua debet initia Monaſterium Aræluceníe puellare. De Cætero enim *Conſortiæ* & *Nazarii* coibunt tempora, etſi Fauſtus illi dumtaxat deceſſerit circa an. CCCCLX. nam intra hoc ſpatium *Eucherio* parente, necnon *Gallâ* matre jam ad ſuperos evocatis potuit exequi *Conſortia* quod eam defunctis genitoribus ferunt acta præſtitiſſe de Xenodochio, & Eccleſiâ S. Stephani, ſed illud operis potuit deinceps in ſolidum adſcribere *Nazario* Lirinenſis interpollator. Quod ejuſdem ſuaſione piam Virginem ſuſcepiſſe noverat. Idipſum ſatis conſequitur ſuis in centonibus, in quorum

altero narrat *Helenam Augerii* filii principis Rejenſis uxorem, poſt obitum viri ſui, apud Arlucum conſtruxiſſe Monaſterium Monacharum in honore, & nomine B. *Stephani.* Quia in ejus Feſtivitate fuerat liberata, *ubi ſe Deo dedicans dies ſuos laudabilitèr conſummavit*, *&c.* Eum tamen antea dixiſſet *Nazarii* opera purgatum nefandis ſuperſtitionibus locum, & ad inſtantiam *Helenæ* dumtaxat conſecratum. Quæ cum de hac Principe fœminâ otioſiùs retracto, ſubit interdùm mentem ſuſpicio ne F. *Porcarius* (ſic audiebat vitæ Honorati innovator) qui hæc ſcribens, omnia quæ ferebantur hiſtoriæ documenta verſabat & pro libidine intervertebat; ex nobiliſſimâ Virgine conſortiâ à multis viris illuſtribus in matrimonium expetitâ, Augerii filii principis Regienſis uxorem conflandi occaſionem aucupatus ſit: ex nominis forſan ſimilitudine, quæ inter Augerium (veriſimilitèr hujus viciniæ antè aliquod tempus Dynaſtam) & *Aurelium* olim *Eucherii* filiæ procum reperiebatur. Nam ſeu in iſtis componendis: ſeu in nominibus detruncandis, ſeu in longè diſſitis temporum epochis retrahendis, & ævo ſuo aptandis, nulli ſecundus erat artifex iſte: undè & potuit auſu perfacili *Helenæ* poſt mariti obitum adſcribere illam vitę Religioſę Profeſſionem, & piè conſummatos in hoc Monaſterio dies quos audierat legeratquè *Conſortiam* poſt parentum fata ibidem in Eccleſia â ſe conſtructa, cum prçconio ſanctitatis exegiſſe. Nam ibidem in

gratiam alterius regiæ fœminæ *Mariæ* Hungaricæ Caroli II. Provinciæ comitis ſponſæ S. *Honoratum* ex Hungariæ Regibus oriundum comminiſcitur, & aliis deinceps aliorum natales ac fortunas implantat. Quidquid ſit pro *Conſortia* iſtud ſanè præcipuum recurrit, quod in his partibus ſiſtens B. Virgo nullos potiores prætèr Nazarium, vel alios coætaneos Lirinenſes, rerum ſuarum conſcios ac moderatores habere potuerit: ut proinde pene neceſſe ſit ædificatam iſtheic ab eadem *Conſortiâ* ſacram B. Stephano Baſilicam, non aliam ab eâ conjectare quæ à *Nazario* ſub hac invocatione Deo dicata eſt. Areluci autem Virginum Monaſterium circâ hæc tempora floruiſſe idoneè probant S. *Aigulphi* vitæ acta, quem hoc cœnobium conſtruxiſſe, ſeu reparaſſe ferunt.

XXXIV. *Conſortia* acta illuſtrata, vel illuſtranda.

An porrò *Conſortia* ſedem figens in hac regione, & in eodem â ſe conſtructo ſacello, corpus ſuum ſepelire jubens, in ſodalitio cum aliis Virginibus Monaſticen profeſſa fuerit, quę antea, vivente patre, ſacrum velamen ſuſcepiſſe narratur? magis diſquiri poterit. Nunc ad fontem manum intendiſſe ſatis ſit, unde peritioribus peritiora explorandi occaſio,& facultas aderunt. Ne quid autem per me deſiderari poſſit, quo iſtis ipſis major ſplendor, vel probabilitas infundatur hanc poſtremam conjecturam noſtram ſubdere juvat, quâ expiſcati eſſe pene ſuademur, quamobrem factum

ſit (quod adeò difficilè *immò, & humanam fidem excedere* putat *Severtius*) ut nempe S. *Conſortiæ* virginis memoria in Cluniacenſi cœnobio venerationem obtinuerit, & huc ſacrum corpus tranſlatum ſit. Nam & ejuſce ſolemnitatis feſtum ibidem recolitur ex Gallic. Martyrol. VIII. Kal. Jul. Quæ profectò valde ſuſpectam reddunt ejus pignorum Cucuronei caſtri ad Druentiam, Oratorio depoſitionem: cujus occaſione, præcipuam actis interpollationem eveniſſe pluribus jam evicimus. Potior autem in hac parte Cluniacenſium cauſa nobis ob illud conſita eſt, quod X. vertente ſæculo, eorumdem regimen, tam Arçluci cœnobium, quam Lirinenſe ex Benedicti VII. Pontificis ordinatione tranſierit. Hujus enim hæc in diplomate an. DCCCCLXXVII. concepta ſunt verba: *ſub omni integritate donamus tibi* Maïoli *Abbati Cluniacenſi ac ſucceſſoribus tuis inſulam Lirinenſem & Monaſterium* Aræluсum *cum omnibus ſibi pertinentibus, &c.* Ob iſtud ipſum igitur Cluniacenſes, meliori titulo, poſſidere à nobis æſtimati ſunt quod Lirini, & Arçluci regimen ſuſceperint, tam *Maïolus* ipſe, quam ſucceſſor ejus *Odilo.* Undè proclive admodum fuit, ut Provincialis præcipuè noſter *Maïolus* Avennico forſanque ex agro iſto Avennico oriundus, popularis, ac conterraneæ ſuæ *Conſortiæ* cultum ac morticinia ex S. Stephani, ubi condita erant, ſacello, Cluniacum tranſvexerit. Quod indè ſimilius

Quæ occaſione corpus ejus à Maïolo Cluniacum transfertur.

milius vero redditur, quia Ailucum virginum cænobium, ab hoc tempore inſtauratum fuiſſe non legimus, nec ulla florentis poſthac earum inſtituti ſupereſt, penes Lirinenſes, aut alios quoſcumquè memoria, quæ facilè alioquin, ut alia multa, poſteritati commendare procuratum eſſet. Sodalitio autem puellari non exſuſcitato convenientius fuit, ex inculto campeſtrique loco removeri ſacra *Conſortiæ* pignora, & peropportunum ab Archimandrita *Maïolo* ſuos ad Cluniacenſes tranferri; qui nomen ejus & celebritatem ſtudiosè deinceps retinuerint variis diebus ſolemni cultu recolendam. Quę cur non ita penes Lirinenſes noſtros perennarit tantò minus mirum videri debet, quantò nunc Navarii ſacratiſſimi hujus cœnobii Fundatoris, ac Abbatis Lirinenſis laudatiſſimi acta germana penitùs intercidiſſe. dolemus, quorum & ſtillas nonniſi cœnoſis ex rivis exprimere facultas fuit.

Porrò nec ampliùs S. Maïoli ullam uſpiam è chartulariis Lirinenſibus memoriam adipiſci potuiſſe poſt multas curas teſtatur *Barralis* Chronologus: nos feliciores inſignem admodùm reperimus ad hunc ipſum quem verſamur *Aræluci*, & *Matonvici*, ſeu *Mantolvoci* tractum ſpecialiter relatam. Quod ſanè documentum, quia multa etiam ſuperiùs delibata explicat ac illuſtrat, heic omninò exſcribendum duximus. Eſt autem ſolemnis monaſticæ pro- XXXV. S. Maïoli memoria penes Lirinenſes rediviva.

feſſionis actus quo miles ſpectabilis *Guillelmus* cognomento *Grutta* filius *Rodoardi* Principis, vel Vice-comitis Antipolitani, & frater *Gancerani* depoſito militiæ cingulo Lirinenſi ſodalitati nomen dedit, cum filio ſuo circa annum MXXX. Hujus autem ſacræ dedicationis charta ſic præfert. *Poſtquam in Paradiſo parenti noſtro, culpâ exigente, à Domino dictum eſt*, maledicta terra in opere tuo, *totum penè genus humanum in hujus peregrinationis ærumnis novis ſemper & quotidianis delictorum & adverſitatum molibus pergravatur, & ſuperna medicina nolens in æternum perire quod fecerat miſericorditer omnibus clamat*, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis & ego vos reficiam. *Quam ego* Guillelmus *juſſionis vocem adimplere cupiens, relictis omnibus quæ ſæculi ſunt, Deo ſoli..... militaturus, ac ſecundum regulam* S. Benedicti *jam victurus, apud Lirine Monaſterium ſub Abbate...... militiæ deponens cingulum, ordinem aſſumo, Deo favente, Monaſticum: ſed quia teſte Scripturâ novimus*, quod redemptio animæ viri divitię ejus ſunt, *Dono mecum Domino Deo*, & S. Mariæ, *vel* S. Honorato, ac *Lirinenſi loco, ſeu Abbati prædicto, vel Monachis ibidem Deo ſervientibus totam illam quartam partem quam* ex Avenionenſis *caſtri territorio in bello acquiſivi* IN NOMINE S. MAIOLI, quæ videlicet pars Mandolvocus *appellatur. Simili modo etiam dono in* Arluco *unum manſum cum omnibus ad ſe pertinentiis: quem videlicet* Manfredus *tenuit, &c.*

Circa ann. MXXVI.

Ex conceſſione caſtri Avenionis Lirino facta.

Ex hac porrò Guillelmi *Gructæ* Comitis Antipolitani monaſtica profeſſione, magis patet ſervata hucuſque Matonvici denominatio in Mandolvoci nomenclaturâ, cujus territorii latifundia nunc ad Antipolitani ſeu Graſſenſis Capituli jura tranſierunt. Quod fœlix igitur fauſtumque ſit, uti Sectione *vi.* n. *1.* & ſeq. omnes omninò fortunas, laudes, denominationes, neceſſitudines in actis *Eucherianæ* converſionis interpolatis expreſſas, in veram *Eucherii* ſenioris hiſtoriam ſponte confluere perſpeximns, ita & nunc non minùs proſpero in eadem acta excurſu incidimus in omnes penitùs fines ac terminos qui ejuſdem B. viri ſpecum noſtris in partibus quaſi trabali clavo refigunt; ut ſunt 1. ager *Thele*, 2. Mantonicus, 3. mons Martis, 4. Baſilica S. Stephani, 5. Xenodochium.

Caſtrum Avenio *cur poſthac* Neapolis *audiit.*

Sed poſt hæc adhuc inquiri poteſt, quamobrem vocetur regio iſta *Avenionenſis caſtri territorium*, cum celebris *Avenionenſis* civitas inter Rhodanum, & Druentiam poſita, triginta quinque circiter leucis Provincialibus abhinc diſtet? Ad illud autem ſcire convenit caſtrum ad maris noſtri littus, quod nunc audit, *Neapolis*, olim vocitatum fuiſſe, *Caſtrum Avenionis*, ut ex noſtris Forojulienſibus ac Lirinenſibus chartulariis ultrò convincitur. Nomen autem mutare, & *Neapolis* denominationem habere cœpit ſub XIII. ſæculi finem, quo *Villanova-*

nis proceribus Dynaſtiam iſtam conſecutis, placuit, ut à Gentilitio nomine in Græcum converſo diceretur *Neapolis*, quod eſt nova urbs & villa nova. Quam caſtri nuncupationem cum vetuſtam exiſtimarent moderni Geographi & è noſtris Peireskus & Gaſſendus, & Jacobus Antelmius J. C. Pater meus in his ſtudiis verſatiſſimus nominis ſimilitudine deluſi collocarunt ibidem Athenopolim urbem, de qua Plinius, & alii veteres, quæ conſtanter ad ſinum Ambracium ſeu Grimaldicum inter Forum-julii & Telonem ſita erat.

Qua viris eruditis erroris occaſio fuit.

XXXVI. An Eucher. conv. Auctor eodem æquivoco deceptus.

At nunquid rurſus evenire potuit, ut ea quæ nunc in errorem propulit nominis caſtro inditi qualiſcumque ſimilitudo, olim etiam errandi occaſionem præbuerit, cum eodem nomine cenſebatur quo famoſa civitas *Avenio*? ſanè lapſus facilior extitiſſet, ſi actorum Eucherianæ converſionis ordinator inaudiens, & Eucherii ſpecum, & Matonvicum, & montem Martis, & Agrum Thele, & Baſilicam S. Stephani, & Hoſpitale, ſeu Xenodochium, &c. in finibus Avenionenſis territorii locata eſſe, ea omnia deinceps aſſignare, transferreque non hæſerit ad urbis Avenionenſis viciniam, quę Druentiæ tam proxima eſt, felicior inquam lapſus iſte fuiſſet, & veniâ dignior, ſic enim malâ fide non proceſſiſſet, & priùs deceptus lectorem decepiſſet.

Hæc ſanè non omninò ſaltem à veri ſimi-

litudine abhorrere multi cenſebunt: verùm enim verò, ſi pateretur propoſiti ratio, alia ex hoc inſtrumento rimari liceret: pauca tamen in S. Maïoli gloriam carptim adjicimus. Gravis itaquè urget conjectura quod uti ex civitatis, & caſtri communi nomine fucum pati potuit qui acta Eucherii concinnavit, ita qui Maïoli res geſtas præſcripſere ex ejuſdem occaſione nominis, aliis aberrandi cauſam præbuerint, ubi S. Abbatem ex Avenicorum caſtro, ſeu ex oppidanis Avenicis, aut ex Avenicorum ſplendidiſſimis parentibus in Provincia oriendum tradidere. Quod illico trahere pronum fuit ad civitatem Avenionenſem, ſeu ad proſapiam ex hac urbe prodeuntem: ut facit Henſcherrius ad XI. Maii, quandoquidem una innoteſcit hoc nomine civitas. Nunc verò, cum aliud exſuſcitatur oppidum cognomine, res ſaltem in dubio eſt, quippè quæ ad utrumque referri poteſt: ut autem ad noſtrum potiùs trahatur, plura facerent, ac I. Quod acta *Maïoli* eum ex oppido, aut ex oppidanis *Avennicis* oriundum ſcribant, non autem ex civitate, aut ex civibus *Avennicis*: hujus enim temporis ſcriptores, civitatem Avenionenſem oppidi nomine haud deſignaſſent, ſi in ea *Maïolum* natum credidiſſent. II. Caſtri noſtri maritima dynaſtia nomen, ac celebritatem impertivit nobili *Avennicorum* proſapiæ è qua *Maïolus* ortus aſſeritur. In Chartulariis

Uti & Auctores vitæ S. Maïoli.

enim noſtris commendabiles omninò ſunt *Avennici* Toparchę de quorum altero illud memorandum occurrit in tabulis Lirinenſibus ad annum MCCLXXII. VII. Martii, quod ſcilicet *Raymundus* de *Avenione* vi occupatum caſtrum Avennicum judicis pronuntiato Lirinenſibus reſtituere juſſus, acquieverit: at die II. Aprilis inſequente, *conſiderantes monachi, quâ facilitate* Raymundus *judicio ceſſerat, eidem donaverunt quidquid per ſententiam obtinuerant,* videlicet *Juriſdictionem caſtri & territorii, jure Feudi retento annuali cenſu xx. ſol.* Quæ fuerunt purioris ævi egregia facinora, non minùs Raymundo quam Lirinenſibus honorifica, utinàm & in exemplum trahenda, ſed fortè majora horum facere perſuaderemur Aſcetas illos beatiſſimos qui nec ullis judicio contendere cavent, niſi quod ait alicubi priſcus auctor: *naturaliter, audita viſis laudamus libentiùs, & præſentia, invidiâ præteritâ, veneratione proſequimur, & his nos obrui, illis inſtrui credimus.* III. Maïolus in his Provinciæ partibus natus dicitur, in quibus poſt tranſitum maris totus Saracenorum efferbuit impetus: nam & pater ejus *Fulcherius* ibidem moratus eſſe ſcribitur. At Saracenos qui ex Hiſpaniâ in Provinciam adventarunt, Forojulienſem tractum pręcipuè devaſtaſſe conſtans omnium aſſertio eſt. VI. Sententiæ iſti maximum robur confert ea quę pręit vitæ *Maïoli* ab *Siro* & *Aldebardo* coævis deſcripta narratio, de

Porcharii Lirini cum ſociis martyrio: nam auctores illi poſtquam carnificinæ iſtius à Saracenis patratæ hiſtoriam protulerunt, eodem tenore de Maïoli natali, & proſapiâ ex *Avennicorum* nobilibus parentibus, aliiſque ejus geſtis diſſerunt. Ad quid enim *Porcharii* certamen in Avennici caſtri conſpectu exactum vitæ Maïoli præpoſuiſſent, niſi eum & in his partibus natum & ab *Avennicis* Toparchis genus trâxiſſe putaſſent? Et conjecturam roborat quod *S. Probo* cujus acta recitat *Henſchenius* inter illa tempora, & in hac regione natus proditur, quam Saraceni præcipuè populabantur. Quæ regio conſtituitur ad fines *Fraxineti*, ubi fuit Saracenorum Fortalitium in Forojulienſi tractu poſitum, non longè à caſtro Avenione, ſeu Avennico diſſitum. E quibus probabiliùs ſemper exurgit Maïolum, qui latifundiis pollebat, ubi major Saracenorum impetus ebullierat, ibidem ortum fuiſſe, quando quidem aliundè conſtat *Fulcherium* ejus parentem in his partibus conceſſiſſe, ſuæque contra barbaros ſtrenuitatis argumenta prodidiſſe.

Patria S. Maioli propiùs investigata & explorata.

Hæc poſtrema porrò quæ de *Conſortiæ* fortunis retexuimus uti magis colligant quidquid in *Eucherii* geſta contulimus, ita forſan copioſum majoris indaginis argumentum, emunctę naris hominibus aliquando præbitura fore ſpes nobis ineſt. Quo eos iteratò provocamus: nam quod ad nos attinet prolixiores forſan

XXXVII. Copioſum ex his majoris indaginis argumentum.

viſi erimus. Et tamen ſi iſtis otioſiùs immorari conduceret, alia nulla forſan adjiceremus huic argumento mirè congruentia. Quod ſi quidem *Uranius*, & *Celſus Conſortiæ*, dum adviveret adhærentes prodi non poſſent (quid enim ſimile de Navario conjectare fas ſolum fuit) *Aurelianum* ſaltem commendabilem Preſbyterum in iſtis ipſis partibus ineunte ſexto ſæculo verſantem offenderemus, quem alii forſan prioribus convicti reciperent pro *Aureliano* illo Preſbytero à quo ad S. Virginis ſepulchrum *Deo hucuſque ſerviente*, ejuſdem geſta partim *audiviſſe teſtatur* qui illa conſcripſit. Et certè ſi locus congruit, congruerent etiam apprimè tempora: nam qui jam à coætaneis res exceperat circa annum CCCCLXXV. vel LXXX. conſummatas (vix enim has epochas prætergredi potuit Conſortia) idoneus iterùm teſtis fuit, qui earum ſeriem edoceretur à viro intra annum ſequentis ſæculi decimum, & vigeſimum ſuperſtite. Talis profectò extitit noſter *Aurelianus*, qui ſedente Forei-julii *Victorino* magnâ vitæ laude hac in Diœceſi floruiſſe noſtrâ in Pontificum hiſtoriâ demonſtrabitur. Sed hæc fruſtra nunc depromerentur, nam de ſitu ſpecus poſt tot ac tantos prolatos germanos indices, poſt toties ejus adumbrata veſtigia, non ſatis perſpicio quamobrem alicui remanere poſſet hærendi locus.

SECTIO

SECTIO IX.

In quædam Eucherii *vitæ geſta, & ingenii monimenta prolixior inquiſitio.*

XXXVIII. *Ado, Florus, & Uſuardus* quomodo in *Eucherii* geſtis referendis concordent aut diſcrepent.

ET ſanè ſi qui de iſtis olim ambigebant viri perſpicaces *Paradinus*, *Savaro*, *Severtius*, quid horum vel minimum ſubolfeciſſent, quam difficulter ſibi temperaſſent, ne hanc continuò ſtationem pro vero *Eucherii* recluſi domicilio recognoviſſent, ac propalaſſent. Nec forſan magis hæſiſſet ipſe *Chiffletius*, cui res noſtræ penitiùs innotuere ex neceſſitudine cum Petro *Antelmio* contracta, & frequentibus ultrò citroque datis litteris auctâ, qui quidem *Chiffletius* egregiè deceptus falsâ traditione Martyrii *S. Leontii*, quem inter pacatiſſima tempora, hoc eſt an. CCCCXXXII. à barbaris nationibus abductum, & ſupplicio tandem affectum adulterati produnt codices, his, inquam, deceptus inde colorem actis *Eucherianæ* converſionis infundere, tam irrito labore deſudavit ut ad eorum fidem, recluſionis locum in ripâ Druentiæ conſtituerit: quominus Eucherius, fictitiis oræ noſtræ populationibus obnoxius eſſet, in quę certè non niſi meliorum ope deſtitutus *Chiffletius* haud ſatis lubens impegit. Nam *Eucherium* in his partibus retinere longè

conducibiliùs exiſtimaſſet. Sed hæc ſuperiùs excuſſimus, ubi & quamquam ſatis demonſtratum ſit deprehenſum in actis *Eucherianæ* converſionis impoſturę caput in hac fluminis Druentiæ adjectione conſiſtere, & circa illam penè totum volvi fraudis verticem, id ex modo exploratis, non minùs liquet, quæ tandem hoc uno momento poſtremum occurrente majorem in lucem præſtat aſſerere, ſcilicet exiſtimat laudatus idem *Chiffletius Florum* Lugdunenſem non minùs quam *Adonem* Viennenſem ſuam quam inſerunt de Eucherii inauguratione, narrationem, ex ejuſdem narrationis hiſtoriâ decerpſiſſe. Ego & Uſuardum his libens adjicerem, inter tres iſtos Scriptores illud diſcriminis nec mediocris profectò obſervatur, quod *Ado* interpolatoris narrationem κάτα πόδα inſequens ſpecus locum, ſuper fluvium Druentiam ſpeciatim determinet, & totam penè geſtorum ſeriem exſcribat: Florus autem his, ut plurimùm reſectis, cum ad ſpeluncæ ſitum deſcribendum pervenit, ne apicem quidem, vel veſtigium fluvii *Druentiæ* nec Aquenſis territorii ſubindicat, ſed illorum loco ſimpliciter apponit: Eucherius.... partibus Provinciæ *in quodam ſpecu recluſus*, &c. nihilque de *Galla* & filiabus, vel de recluſo Lugdunum in vinculis perducto deinceps attingit. At cum *Ado* & *Florus* coætanei fuerint, regnanteque *Karolo Calvo* ambo ſcripſerint; mirari ſu-

Ado *converſionis acta interpolata recitat.*

Florus interpolationem repudiat.

bit, cur uno res externas, tam diffusè referente, alter proprias & domeſticas, & Eccleſiæ ſuę tam honorificas, non ſolùm ſic contraxerit, ſed etiam determinatam loci præcipui poſitionem, in aliam vagam, & longiùs patentem commutarit. Circa quę ita parùm conſentanea illud aliquando conjectandum occurrit, *Florum* ſcilicet *Eucherii* acta in Eccleſiæ ſuæ archivis pura & terſa nactum exſcripſiſſe, vel fraudem in eis ſubodoratum eadem ex intemeratâ Lugdunenſium traditione, deterſiſſe, & ad rectam hiſtoriæ amuſſim regulaſſe: *Adonem* autem aut hoc ſubſidio deſtitutum, aut minùs fortaſſe perſpicacem hæc, prout in actis interpolatis legerat, enarraſſe.

Narrationis quædam dicta caſtigat.

Lugdunenſem ſanè Preſbyterum, non modò ex iſtis ſatis præcipuis quæ circumferuntur, hiſtoriæ vulgatæ fidem non ſecutum ultro proditur, ſed idipſum etiam exinde patet, quod liberiorem illam interpolatoris elocutionem: *mos erat præfatæ Eccleſiæ, ut quoties ſuo viduaretur Epiſcopo, in eligendo ſucceſſore revelationem Domini expectaret, &c.* hanc, inquam, Anonymi aſſertionem ſic iſte concoxit, vel ita ab aliis concoctam deprompſit: *venerabilis conſuetudo fuit, ſicut antiqua narrat hiſtoria, ſcilicet, ut defuncto Pontifice, omnis in unum conveniret Eccleſia, & triduano jejunio, communi voto celebrato, quemcumque eis Dominus, per revelationem, oſtenderet, ipſum hinc dubio Pontificem conſtituerent.* Ita *Florus* quę penè

P ij

ab interpolatoris ſenſibus tam diverſa ſunt, quàm diverſum eſt audaciùs tentare miraculum, & eidem poſt inſtantes ſupplicationes, advenienti confidenter deferre, quæque adeò, uti nec ſine conſideratione caſtigata ſunt, ita facilè pronum debuit eſſe *Floro*, rerum eventus, *ex ſanctiſſimo*, ut ait, Eucherii *vitæ libro referenti*, hæc ipſa de *fluvio Druentiæ*, aliaque ſimilia minùs congruere vita reſcindere, vel eluere; ſi codicem interpolatum nactus fuit. Sed illi libros optimos ac probatiſſimos præſto fuiſſe fidem nobis egregiam præſtat *Wandalbertus* Prumienſis in Trevirenſibus Monachus, qui Metricum Kalendarium an. DCCCXLII. apparans de *Floro* adhuc Superſtite in ſua ad *Otricum* præfatione ſic loquitur: *ope & ſubſidio præcipuè uſus tum ſancti & nominatiſſimi* Flori *Lugdunenſis Eccleſiæ Subdiaconi, qui ut noſtro tempore revera ſingulari ſtudio & aſſiduitate, in divinæ Scripturæ ſcientia pollere, ita librorum authenticorum non mediocri copiâ &* VERITATE *cognoſcitur abundare.* In his itaque libris authenticis quorum aliis copiam faciebat, Actorum narrationem caſtigavit. Porrò peccavit rurſus interpolator ſi quod ſatis innuit, triduanum illud jejunium, poſt obitum Pontificis indictum, peculiarem Eccleſiæ Lugdunenſi conſuetudinem fuiſſe contendat, nam hæc erat in Gallicanis Eccleſiis dudum invecta. Teſtem unum, inter alios vitę auctorem L. *Amandi* Aurelian. Epiſcopi

profero cujus hæc ſunt verba: *atque ut in ipſum concordia divinæ electionis clareſceret, cum triduanum jejunium* MORE ECCLESIASTICO, *indixiſſet, &c.* hic morem illum *Eccleſiaſticum* indefinitè declarat, uti *Florus venerabilem conſuetudinem* vocitat & utrobique, quod notavimus interpolatoris narrationem emaculat.

Uſuardus interpolationem rejici· & Floro adhæret

Idem mihi de *Uſuardo* judicium obvenit, nam quia hujuſcemet hiſtoriç MSS. Codd. nongentorum fermè annorum vetuſtatem præferentes laudat *Chiffletius*, facilè illa ſic corrupta narratio *Uſuardi* ætatem antecedere potuit, è qua ſane quaſdam voces mutuatus eſſe legenti, videbitur, ac conferenti. Sed quod ille ſimiliter, nil de ſpecus loco aſſignando, nil *de territorio Aquenſi*, vel *fluvio Durentia* indicandis penſi duxerit tam ſtudioſus recenſitor, non levi rursùs argumento eſt, eum, ætatem, genus, ſedemque *Eucherii* nec non ſpecus incolatum probaſſe quidem, reliqua penes autoris vel interpolatoris, fidem remiſiſſe, quç longe melius ex B. viri ſcriptis ac neceſſitudinibus diſci poterant. Quod obſervatu dignum eſt.

At ex hac *Flori* narratione aliud peremptorium & ſexcentorum inſtar pro ſententiâ noſtrâ ſuppeditatur argumentum; namque Lugdunenſis Præſulis electio, more antiquo mediiſque jejunio & orationibus, citrà Regis authoritatem, & ad eum legationem cœpta perfectaque, ſanctius ac florentius ævum cla-

mat quàm quod nobis exhibet VI. ſæculum, in quo teſtis nobis eſt locuples *Gregorius* Turonenſis Reges Francorum his electionibus non modo conſenſum præbere voluiſſe: ſed eas pro arbitrio ordinaſſe, & Epiſcopos conſtituiſſe legendus paſſim *Gregorius* Turonicus maximè lib. 3. hiſt. Franc. cap. *11*. & cap. XV*II*. & lib. de vitis Patrum in vit. *SS. Galli* Claromontani Epiſcopi, & *Nicetii* Trevirenſis, ubi varia obſervantur exempla, quibus extrà dubium manet initio ſæculi VI. maximas partes habuiſſe Francorum Reges in eligendis ſeu conſtituendis Epiſcopis. *Gregorius* ipſe non aliter quam decreto regio Sedem Turonicam obtinuit, ſi fides Fortunato adhibenda eſt lib. v. in carm. ad cives Turon. illos his verſibus compellat.

Plaudite fœlices populi, &c.
Huic Sigebertus *ovans favet &* Brunichildis *honore,*
Judicio Regis nomine culmen adeſt,

Ac licet concorda forent, tum Cleri, tum plebis vota circa electionem pontificis, ante tamen expetebatur Regis aſſenſus, quà poſtulatus Pontifex ordinaretur, ita obſervatum narrat laudatus *Fortunatus* in electione *Medardi* anno DXX. *Peractis* inquit, *non ſinè multo fletu Epiſcopi ſui exequiis, Regis & optimatum aſſenſu ſanctiſſimum Sacerdotem* Medardum *plebs omnis illa*

Veromandenſis & *Epiſcopum ſibi unanimiter acclamabant conſecrari.*

Res nimis eſt in confeſſo, quę ulteriori indigeat probatione: ſcilicet Francorum Reges quos proſapiæ ſecundæ vocant electionum ſummam, ad ſe avocaſſe: cujus quidem conſuetudinis originem, penitiùs repetit illuſtriſſimus de *Marca* ab exemplis imperatorum, qui tuitionis pretextu jus illud ſibi vindicaverant quam materiam noſtri non eſt inſtituti attingere. Nobis ſat ſit in Galliis noſtris primum invaluiſſe in ordinationibus laicorum, quos abſque Regis conſenſu promoveri vetat Synodi Aurelianenſis I. juſſu *Clodovæi* M. anno DXI. celebratę Canon 4. quo cavetur, *ut nullus Sæcularium ad Clericatus officium præſumatur, niſi aut cum Regis juſſione, aut cum judicis voluntate*: quam ſanctionem ad ordinationem Epiſcoporum ſenſim ampliatam declarat Concilii Aurelianenſis V. habiti anno DIL. Can. X. quo Patres Gravioribus longè momentis adducti, electionem Epiſcoporum regio aſſenſu firmandam eſſe voluerunt.

Quid ex hoc excurſu emolumenti hauriat noſtra aſſertio nemo non videt: ſcilicet narrationem electionis *S. Eucherii*, nullâ Regis conſenſus habitâ mentione, Juniori, ut volunt, poſt annum DXVII. promota congruere nullo modo poſſe, quâ ętate vix Epiſcopi electionem reperire eſt, cui Francorum Reges non interceſſerint.

Urget è contra graviſſima conjectura acta illa, quæ *Eucherianæ* electionis geſta continent, magnum, & unicum *Eucherium* deſignare, cujus cum ætate electionis modus, libertas, cleri populiquè vota omninò concordant.

Argumentum illud quod Fratri Amantiſſimo validiſſimum viſum fuerat, quia fortè Regnum Burgundicum à Francico diſterminare, ſeu per otium non licuit, ſeu ante diſcutiendos ſibi utriuſquè exitus intenderat, quam lucubrationi ſuæ ſupremam manum poneret: nobis quibus facilè fuit inventis addere, minùs idoneum viſum eſt, nequè enim ex illa Regii conſenſus omiſſione junioris Eucherii fortunæ ſi aliundè conſtare poſſent, periclitarentur. Quando quidem, licet multa Francorum Reges circa Epiſcoporum electionem his temporibus ad ſe traxerint: attamen Burgundicos Reges, tanta ſibi ſumpſiſſe in illis electionibus mihi abundè conſtare non licuit. Cum ergo quâ ętate Eucherius alter ſupponitur, Lugdunum Imperio Burgundionum contineretur, à quo non diſceſſit niſi circà annum DXXXIV. antè quod tempus iſtius Eucherii electio neceſſariò eſt ſtabilienda ex conciliis quibus annis DXXVII. XXVIII. & XXIX. ſubſcripſiſſe dicitur: nil mirùm ſi ejus electioni Reges Francorum non intervenerint. Hæc ſunt, quę veritatis ſtudio addenda voluimus, cum quibus ſtat totam illam actorum ſeriem, circà pontificiam

tificiam *Eucherii* electionem, ſupplicationum, & jejuniorum obſervantiam, non ſęculum vi. ſed antiquius redolere.

Quo magis itaquè vertuntur iſta propiuſquè deſpiciuntur, eo magis fraus interpelatoris patentior demonſtratur ac evidentior, cui ſane regionis, patriæ, regionumque ſtudia, aut alia ſimilia præjudicia occaſionem primùm dediſſe ſimile admodùm verò eſt. Sed & illud iterùm magis recurrit, quod ſi eorundem actorum inquibus integra ſanaque eſſe videntur, haberi ratio debeat, omnes ad ſententiam noſtram redeunt, contenduntque geſtorum lineæ: quę verò corrupta depravataquè ſunt, non'tam pro aliis quàm pro nobis certant, vincunt & unicum *Eucherium* æque pręferunt, quæ ex iiſdem actis, uti certa veraque, aut veriſimilia credi poſſunt. Sed ut ut ſe res habeat, fateor tamen, me in loci exploratione, laboris iſtius, exitum, vel fortunam, operæ prętium non æquè reponere, ac in unius *Eucherii* Lugdunenſis Antiſtitis aſſertione. Quovis enim noſtris ex partibus aliò commigraſſe & ſpecum ſuam locaſſe, certis ac indubitatis indiciis demonſtrare quiſque poſſet, is haud dubie noſter eſſet, ejuſque ſententiam non minùs quam *Eucherium* complecteremur. At quia iſtud habitaculum in regionibus noſtris, multi magnique prodebant indices, non erat cur illos, ità proditos conſepelirem, unde quam inveſti-

Q

gabam exploratior evaderet iſta remanſio.

XXXIX. Acta Paſſion. M M. Agaunen. interpolata. Ceterum non video, cur alterius *Eucherii* juri quadantenùs redintegrando deinceps aptanda venirent, niſi cujuſdam forſan menti inſederet, partum ſubjicere, patrem exiſtentem ut probaret Quod quidem hactenùs tentatum, ut quodammodo exſuſcitaretur poſterior iſte Lugdunenſis Antiſtes. Si enim cum non convenirent prioris *Eucherii* laudata à coætaneis, vel ſubparibus ſcriptoribus ingenii monimenta, aut cùm illa ſatis per ſe auctorem ſuum reclamarent, accommodatum ipſi eſt opus alterum, tot tantiſque characteribus haud ſignatum quidem, ſed quod tamen genuinas legitimi parentis lineas adhuc exhibeat. Illud eſt: *Paſſio Agaunenſium Martyrum*, quę auctoris ſui in fronte nomen non præferens, & ob illud variè jactata interpolatorum demùm fœdos contactus non effugit, in quâ utique *Sigiſmundi* Burgundionum Regis & Agaunenſis Cœnobii dotatoris, necnon ejus Abbatis *Ambroſii* nomina repoſuerunt. Illa verò cum *Eucherii* ſenioris epochen non referret, & tamen paſſim traderetur fœtum illum eſſe *Eucherii* Lugdunenſis Epiſcopi, quem & epiſtola ad *Sylvium* actis interdum illigata prodere poterat; facili tandem negotio, compoſita res eſt, ut ſcilicet alter ſupponeretur junior *Eucherius* quem alia quæſita documenta huic etiam ætati inſerendum eſſe docuerant. Et ſanè *Sigiſmundi* R. ævum, qui circa an. DXXVIII.

Digitized by Google

ſuffocatus fuit, apprime cum iſtius *Eucherii* geſtis affictis cohærebat. At rurſùs malus detectus eſt dolus, in ſinceris & primigeniis *Paſſionis* actis quæ partim exſcripſit *Ado* Vienneſis, ac recitavit ad X. Kal. Octob. ſed illaudato, quod ſatis miror Eucherio. Ea nactus eſt *Chiffletius* integra, & emendatiſſima in codice per quàm vetuſto *S. Augendi* Jurenſis, quæ publicare non eſt moratus in *Paulino illuſtrato.* Nos ejuſdem penè tenoris, ſed majoris etiam autoritatis codicem nacti ſumus, in Bibliothecâ Regiâ, quippe qui, meliori ordine, præmittit epiſtolam *Eucherii* ad *Salvium,* actis Paſſionis, quibus prologi vicem ipſa ſupplet epiſtola. Hæc autem ad finem actorum rejicitur in Jurenſi codice: ſic autem Regius *incipit prologus* B. Eucherii *Lugdunenſis Epiſcopi, in Paſſione SS. Martyrum Thebeorum.* Tùm *Domino & Beatiſſimo in Chriſto* Salvio *Epiſcopo*, Eucherius *Epiſcopus.* Hinc *mitto ad Beatitudinem tuam, &c.* pro quibus mendosè reponit Jurenſis *miſi*: nam ut jam obſervavimus epiſtola præfationis ad acta locum obtinens, & cum ipſis tranſmiſſa, tempus preſens, *mitto*, non præteritum, *miſi*, ſuſtinere debuerat. Quod ideò minutatim advertimus, ut codicis integritatem & ſinceritatem oſtendamus, qui etiam integro & emendatiſſimo Jurenſi melior habetur. Victorini verò Pariſienſes, tres omninò quos contuli, interpolationem paſſi ſunt:

Eucherio *genuina reſtituuntur.*

Digitized by Google

Penes alios itaque jam laudatos manet auctoritatis ſumma, nam in utroque nulla, quod caput eſt, vel *Sigiſmundi* Regis, vel *Ambroſii* Abbatis mentio reperitur. Præſtatque inſuper fidem *Chiffletius*, nulla in his primigeniis actis haberi, quæ ipſiuſmet *Eucherii* ſenioris ævum ejuſque ſtili nitorem, atque elegantiam non ſpirent.

Difficultates ex nuncupatione ad Salvium.

Movet quidem viro docto litem, quod *Actorum innovator* Eucherio *Lugdun. centum ferè annis recentior* Eucherii *tamen ipſammet ad* Salvium *Epiſcopum nuncupatorium operi ſuo præfixerit*. Quod judicium, vitio orationis an rei, non ſatis exploratum habeo. Nam ſi per hæc ſignificare vellet *Chiffletius* interpolatorem in hoc peccaſſe, ubi *Salvium* hujus temporis Epiſcopum adduxiſſet, quemadmodem *Sigiſmundum* & *Ambroſium* intruſerat, haud rationabiliter angeretur. Etſi enim hoc illorum ævo, degerit *Salvius* Albigenſis Ep. ad quem forſan relatam ab innovatore, *Chiffletius* ſuſpicari potuit *Eucherii* nuncupatoriam, non tamen refragatus fuiſſet vir doctus, ante annos centum, hoc eſt, magni *Eucherii* tempeſtate, florere potuiſſe unum, aut plures Epiſcopos, nomine *Salvios*, quorum ignota nunc ſedes, at quorum alteri nihilo ſerius ſuam inſcripſiſſet operam Lugdun. Certè ſi in hoc innovatoris etiam culpam agnoſcit *Chiffletius*, ab eâ mihi proclivitcr eſſet abſolvendus; quod ſi conjecturis agendum, ubi meliora non occurrunt, haud ægrè conjicerem pro *Silvio*, ſubjectum eſſe *Salvium* facili

exemplatorum lapſu, quo nonniſi unam literulam permutaſſent. Siquidem *Eucherii* noſtri Lugdunenſis ævo, *Silvius*, doctor inſignis, proditur, quem ne ab iſto ad quem directa eſt epiſtola, diverſum opinarer, præter temporum congruentiam, faceret etiam præcipuè, ſumma ejuſdem *Silvii* cum *Hilario* Arelatenſi neceſſitudo, in cujus participationem non potuit *Eucherius* non admitti *Hilario* tot jam nominibus conjunctus & adunatus. Scilicet auctor nobis eſt irrefragabilis *Honoratus* Maſſilienſis Ep. in *Hilarii* vita, *Silvium* Arelatenſis Prçſulis frequentem auditorem, atque admiratorem extitiſſe, Arelatemque officiorum cauſâ ſæpiùs adventaſſe. *Honorati* verba refero: *ſi peritorum turba defuiſſet, ſimplici ſermone ruſticorum corda nutriebat* (Hilarius) *at ubi inſtructos ſupervenisſe vidiſſet, ſeipſo celſior apparebat, ut ejus Prælati Doctores temporis, qui ſuis ſcriptis, meritis ſummis claruerunt*, SILVIUS, Euſebius, Domnolus, *admiratione ſuccenſi, in hæc verba proruperint: non doctrinam, non eloquentiam, ſed neſcio quid ſuper homines conſecutum, &c.* Hunc verò *Silvium* Doctorem egregium, ſummiſque meritis, ac ſcriptis clarum, eumque *Hilarii* neceſſarium, ad aliquam viciniç ſedem poſt hæc expetitum, inde rationabilius augurari liceret, quod& illud ſanctioris ævi mos ferret, *Euſebiuſque* ac *Domnolus*, quibus prçponitur hanc dignitatem ſint conſecuti. At in prçſentiarum ſufficit

inumbrata *Silvii* ſeu *Salvii*, cum *Eucherio* familiaritatis occaſio, quæ efficere potuit, ut Lugdunenſis Antiſtes Martyrum *Agaunenſium* paſſionem illi nuncuparet.

Jam ad acta quod attinet, quanquam nil in his haberi conteſtetur *Chiffletius*, quod *Eucherii* ævum non arguat, ſcrupulum nihilominùs injicit viri pereruditi, nobiſque arctiſſima neceſſitudine conjuncti Stephani *Baluzii* nupera obſervatio, quâ ex occaſione illorum, quæ *Lactantius* refert de *Herculi Maximiani* animi dotibus, actis, ut putat adverſantiâ, ſcribit: *unde colligi poteſt, quanta fides habenda ſit actis* S. Mauritii *& ſociorum ejus ab* Eucherio *conſcriptis, ubi* Herculius *deſcribitur ferus animo, avaritiâ crudelis?* Nam aſſeruit è contrà *Lactantius*, *Herculium* avaritiâ minori æſtuaſſe, & in hoc inferiorem fuiſſe *Diocletiano.* Hæc V. C. *Baluzius*. At ſcrupulus ille tenuis videtur tum quia locus corruptus eſt, fatente viro docto, tum quia *Lactantius*, aut alius quivis aurei tractatus auctor, ibidem comparatè loquitur: adeòque potuit ipſi, *Maximianus* cum *Diocletiano* mortalium omnium rapaciſſimo, tenaciſſimoque collatus, minoris avaritiæ reputari; licet iſte, ſeorſim ab altero ſpectatus etiam avaritiâ ſorduerit. Quidni ubi *Eucherius Maximianum* depingit avaritiâ crudelem, ad *Lactantii* mentem etiam accedit, qui eodem capite, poſtquam dixit eum in cuſtodiendis opibus non

tam fuiſſe diligentem, adjicit nihilominùs: *Et cum opus eſſet, non deerant locupletiſſimi Senatores, qui ſubornatis indiciis, affectaſſe imperium dicerent, ita ut effoderentur aſſiduè lumina Senatus, cruentiſſimus fiſcus, malè partis opibus affluebat, &c.* Qui verò ferus eò uſque fuerat, ut *fiſcum* tam truculentis artibus *cruentiſſimum* redderet, ille meo judicio, haud ineptè crudelis avaritiâ dici poterit. Ex hoc ergo tantum abeſt ut actorum fides in diſcrimen adduci fas fuerit, ut è contrà robur obtineant. Hæc pro actorum ſinceritate.

XL. Ex affectu, genuino & ſtilo *Eucherii* M. eſſe acta illa perhibetur.

Quod ad ſtilum autem operæ ſpectat, etſi non extent alia hiſtoriæ argumenta ab *Eucherio* tractata, cum quibus iſtud conferri poſſet, nam purpura, quod aiunt, ad purpuram dijudicanda eſt: Etſi, inquam, comparatio illa rectè inſtitui non poſſit, in iis tamen quæ Lugdunenſis Antiſtes, oratoria methodo conſcripſit, intermicant aliqua, ad quæ referre ſe noſcatur iſta narratio. Talis eſt in primis militum ad *Maximianum* allocutio, quæ quanta eſt, tota *Eucherii* elegantiam animique celſitatem præfert; quibus in geminâ ſuâ ad *Hilarium* & *Valerianum* epiſtolâ abundat. Immò & ſi penitiùs voces ac locutionum proprietates diſpiciendæ ſunt, illud inter utraque opera ſimilitudinis deprehenderetur, quòd hinc & inde pro Domino Deo exprimendo, vocabulum *auctoris* uſurpetur. Sic *Paſſionis* hiſtoria:

ſequi Imperatorem in hoc nequaquam poſſumus, ut auctorem *neg mus, Deum ubique* auctorem *noſtrum, &c.* Ad *Valerianum* autem epiſtolâ : *primum inſtituti hominis officium eſt , proprium cognoſcere* auctorem , *cognitumque ſuſpicere , &c.*
Tum & iſta dictio Deo parere renuentibus utrobique aptata ? *ergo illi* velint nolint , *ſe Domino univerſitatis etſi voluntate auferunt jure non ſubtrahunt , &c.* Et in actis : *Deum utique auctorem noſtrum , Deum auctorem* , velis , nolis *tuum.* Quæ cujus emphaſis nativam ſimilitudinem produnt.

Alia rem otioſiùs explorantibus facilè occurrent ſimilitudinum lineamenta , qualis forſan judicabitur iſta ad narrationem ex proœmio tranſlatio : *nam jam ipſam* beatiſſimæ paſſionis *cauſam loquamur* , &c. his aliorum operum *Eucherii* ſatis aptanda : Ergo *ipſas jam nunc* ſignificantias explicemus. *Proem. ſpirit. intellig. ad Veranum.* Item : *ſed nos breviter in ipſo ſtatim demonſtremus exordio , &c. in quæſt. difficil.* Et poſteà in tranſitu ad aliud argumentum : *ſed jam de variis vocabulis interpretationem ponamus . &c.*

Aliud porrò in actorum illorum edendorum occaſione vel fine occurrit , quod mihi denuo totum *Eucherium* exprimit , affectus nempe ſingularis , quo erga patrios populareſque cœlites movebatur : nam ex variis ejus homiliis ad populum in SS. ſolemnitate recitatis , egregiè perſpicitur cum in id omninò converſum

verſum, ut ſuis impensè cultus illius neceſſitatem ac dignitatem inculcaret. Digna præcipuè memoratu, quæ habuit in ſermone de SS. Lugdunenſibus *Epipodio & Alexandro*, ubi inter multa: *excellentior*, ait, *quædam feſtivitas judicanda eſt alumnis exultare virtutibus, & ideò indigenarum martyrum cultus, & honor ſpecialium patronorum ſicut peculiare dat gaudium, ita proprium requirit affectum. Etenim* SI *peregrinas palmas extraneaſque victorias & coronas, ac tranſmarinos triumphos tanta nos oportet ſedulitate venerari!* QUANTO *nos impenſiùs convenit, in eorum celebritate, fervere ſtudio, excubare famulatu, quibus multiplicem debet religio devotionem, Eccleſia honorem, patria caritatem?* Hactenus *Eucherius* qui eodem ſtudio erga Thebæos Martyres & quaſi conterraneos accenſus, eodem penè ſtilo, eodemque ratiocinii contextu, in eorum Paſſionis acta, ſic præfatus eſt: *Et* SI *pro Martyribus ſingulis, loca ſingula quæ eos poſſident, vel ſingulæ urbes inſignes habentur nec immeritò, quia pro Deo ſummo pretioſas Sancti animas refundunt,* QUANTA *excolendus eſt reverentia ſacèr ille Acaunenſium locus, in quo tot pro* Chriſto Martyrum millia ferro cæſa reperiuntur? In quem ſenſum, alibi puto, dixerat: *Exultant ſingularium urbium populi etſi unius ſaltem Martyris reliquiis muniantur: Ecce nos populos Martyrum poſſidemus, &c.* Ita utrobique collucet ſanctus *Eucherii* fervor, ita ſpirat idem genius. De ſtilo enim jam abundè diſſeruimus, de quo

R

nec immeritò præſtat laudatus *Chiffletius*, nil eſſe in iſtis Acaunenſium Paſſionis actis, quod Eucherii ſtili nitorem, atque elegantiam non ſpiret.

Sed haud ſcio an idem judicium vir doctus inſtitueret, de quadam *Eucherii*, nuper à *Theoph. Rainaudo* prolata epiſtola, quâ *Philoni* compresbytero ſcribit, ut exhortetur *Maximum* Abbatem Inſulæ Barbaræ manere in Monaſterio, à quo meditabatur diſcedere; quòd multi *propter metum gentium* oblationes ſubſtraxiſſent, quas, pro Dei intuitu, dare conſueverant. Unde poſtquam pias largitiones ſuas promiſit, ſubjungit: *hoc tantum ſpecialiùs peto ab ipſo fratre noſtro* Maximo, *ut domum penſilem quam juſſimus fieri nobis præparet & membranas. Quia ſi Deus annuit, Quadrageſimam in inſulâ cum ipſo terere diſponimus, ut quod cœptum eſt pariter revidentes expediamus. Interim trecentos modios annonæ, &c.* Ita epiſtola nuper inventa, in qua forſan *Chiffletius* & alii *Eucheriani* ſermonis limam deſiderarent. Sed præterquam quod iſtiuſmodi familiares epiſtolę quæ, data qualibet occaſione dictantur, hanc diligentiam non poſtulant; ſæpe ſæpius etiam à Notariis perſcribuntur, quibus ipſi, auctoris mente ſervata, ſtilum ſuum, ut moris eſt, impartiunt.

Quidquid ſit ergo de ſermonis elegantiâ, totus denuò Eucherii fervor ac ſpiritus, mirum in modum heic irradiant, de quibus an-

Digitized by Google

requam plura perſcrutemur (ne ſuſpicio ſit iſtud epiſtolii ad junioris Eucherii ἀνάςασιν poſſe conducere) monere juverit , ipſi duos inſignes characteres affixos eſſe , qui ſcriptiunculam *Eucherio* ſeniori & unico inlibatam ſervent. Nam 1. *Maximus* Abbas cujus cauſâ ſcribitur ad *Philonem*, Diſcipulus fuit *S. Martini* Turon. teſte *Gregorio* , qui ejus vitam in *Vit. Pat.* literas miſit , ex fide vetuſtioris quam legerat, verſibus conſcriptę. Cum verò *Martinus* obierit anno CCCC. (ut alibi certâ chronologiâ deduximus) rectè omninò potuit *Maximus* poſt annos circiter XXXV. dum jam Lugduni præerat *Eucherius* , & ille apud Inſulam adtiguam degeret, cum illius temporis Epiſcopis converſari , non autem cum altero Eucherio , qui nonniſi poſt annos ferè centum, ſeu an. DXX. eam Cathedram occupaſſe traderetur. II. Metus gentium ob quem Inſulam deſerere cogitabat *Maximus* , non incidit in iſtius VI. ſæculi memorata tempora , quibus pars illa Galliarum ab hoc metu immunis erat ; cum è contrà ab an. CCCCXXXIV. uſque ad LIV. quos Lugduni tranſegit Eucherius , quâquâ patebant Galliæ , Gothorum , Hunnorum, Burgundionum , aliarumque barbararum gentium patulas incurſiones aut metuerent , aut experirentur. Ob eas autem ſolum vertere meritò propoſuerat Maximus , quod & poſtea fecit.

His igitur duobus chronologicis characteribus epiſtolam ad *Philonem* ab *Eucherio datam*, ex omni parte cognoſcimus. Sed iterùm nobis compertus ibidem eſt priſcus alumni Lirinenſis affectus ac amor diſciplinæ : ſcilicet qui foveam & ſpeluncas in Lirinenſi tractu nuper incoluerat, nunc Lugduni poſitus, *domum penſilem* ſibi parandam in aliâ curat Inſulâ; ut in eâ, quaſi alter in columnâ ſuâ Stylites, hominum frequentiam & acceſſum declinet, Quadrageſimâ præcipuè quâ ſolemne Monachis erat interiora Eremi *ſecreta* petere. Quod vitę PP. plurima exempla declarant.

Heic itaque Lirinum ſuam aut rurſùs invenit aut ſibi effinxit B. Antiſtes. Quam enim in Lirinenſibus extollit vitæ normam quâ *diviſis cellulis habitantes Ægyptios Patres Galliis intulerant*, eam, inquam, diſciplinam, ipſi barbaræ Inſulæ Monaſterio impertiviſſe ultrò conjici poteſt. Nam hanc vitæ diſtrictionem Inſulanos illos Araricos tenuiſſe, probatis ex monimentis exploratam habemus. Conſtans etiam Eccleſiæ Lugdunenſis traditio eſt *Eucherio* ſanctam celebremque Recluſorum ſuorum inſtitutionem initia debere : quorum, priuſquam concluderentur, dedicationis, ſeu benedictionis ab Epiſcopo ſolemniter datę forma legitur adhuc in veteribus Eccleſiæ Collegiatæ Sancti Pauli Lugdun. Ritualibus libris. Ab Eucherio M. igitur, hunc ritum, hanc vitæ ratio-

Vita S. Leob. tom. 1. ſæc. Ben.

nem fluxiſſe Lugdunenſium certa eſt fides. Et meritò ſanè : nam qui Lirinum tantis laudibus evehit, quòd tales haberet inquilinos; qui antrum & caveam ſibi delegit inhabitandam, dum in hac Eremo privatus verſaretur; qui penſilem domum ſibi parari juſſit dum Epiſcopus ageret : Qui, inquam, totidem titulis ac nominibus novum iſtud inſtitutum commendavit, dedicavit, invexit, dignus profectò eſſet, in quem ejus origo conferretur. Quantò nunc magis uti princeps ac inſtitutor tertii probatique Monachorum Recluſorum in Galliis ordinis agnoſci debet, quando nobiliſſima totius Imperii Gallici Eccleſia eum talem exiſtimat ac proclamat ? Igitur ut Paulus Anachoretarum, Antonius Cœnobitarum : Honoratus utriuſque vitæ conſecrationis : ita *Eucherius* Recluſorum, ut aiunt, Parens demùm ac propagator audire merebitur. In Galliis enim hanc peculiarem inſtitutionem florenter viguiſſe, innumera probant documenta, quorum plura *Gregorius* Turon. libris his obſervat & illuſtrat.

Eucherius *novi Recluſorum ordinis inſtitutor.*

Ceterùm aliud eſt in hac epiſtolâ reſiduum, è quo aliquid ulterius in *Eucherii* geſta diſquiramus. Quas enim in hoc ſeceſſu membranas parari ſibi jubet Antiſtes, egregiè perhibent, eum ſemper ſui ſimilem & jam ab incolatus Lirinenſis temporibus, erudito otio frui doctum, elegantiſſimas ingenii ſui lucu-

brationes in Eremo confeciſſe. Heic autem quod opere *cæptum* erat, cum *Maximo* pariter revidere atque expedire poſtulat. Etſi verò, quæ fuerit opera illa tum *cœpta*, ſatis ex allatis verbis determinari non poſſit, haud tamen abſurdè, meâ quidem ſententiâ, conjiceretur inter eos tractatus, quos in hac Inſulâ recenſere vel abſolvere potuit *Eucherius*, nullum extitiſſe de quo magis conſentaneum illi fuerit, cum S. Abbate *Maximo* conferre, quam illo, in quo alterius pii Catholicique Doctoris libros contrahere & emaculare ſibi propoſuit. Hanc ego ſcriptionem intelligo & *Eucherianis* omninò libenter accenſeo, quam haud libens, & quaſi obtorto collo verbis implexis, & involutis eidem aſſignat, deſignatque *Gennadius* per *Epitomen quorundam opuſculorum* Caſſiani, *quæ*, inquit, *lato tenſa ſermone*, Eucherius *anguſto verbi tramite reſolvit*, *&c.* Quod ſic exprimere maluit Gennadius, in eodem ac Caſſianus luto hærens, quam fateri pudenter, Eucherium collationes ipſas contrahendo, ſuis eam nævis & erroribus perpurgaſſe. Hanc porrò lucubrationem tum cœptam ex eo magis arbitramur, quòd *Proſper* Aquitanicus adverſum Collatorem, eo circiter tempore diſputare, imò cum publicis libris tanquam Pelagiani dogmatis fautorem traducere cœperit: quo *Eucherius* ad Eccleſiæ Lugd. ſolium raptus, ſuæ & catholicæ fidei exponendæ egregiam occaſio-

nem nactus fuit, quam aliæ cauſæ mox tangendæ neceſſariam illi fecerunt. Si ergo id operæ tum ſuſcepit *Eucherius*, in ea ſic breviandа & emaculanda opem & conſilia *Maximi* deſideraſſe tantò procliviùs conjectamus, quantò hic labor & difficultatibus obnoxius, & invidiæ plenus, diligentem exercitationem requirebat, quam ne in ſe totum duceret, ſumma *Eucherii* modeſtia prohibuiſſet: ubi præcipuè obvii erant viri ſpiritualibus doctrinis eruditi, qualis erat Abbas *Maximus*, *M. Martini* diſcipulus.

Præcipua verò cauſa, cur non tum permittebat *Eucherio* famæ nominiſque dignitas ab eodem argumento retractando ſibi temperare, ea eſt quod cum ad ipſum ac *Honoratum* directæ eſſent ſex collationes intermediæ (inter quas erat XIII. quę totum ſemi-pelagiani erroris dogma complectebatur) inde magis excitari debuit *Eucherius* ab hoc ſenſu alieniſſimus, ut tam ſuo, quam *Honorati* magiſtri ſui nomine, collationes illas alioquin pias, & Sanctorum profectibus deſtinatas, maculis quibuſdam immunes redderet, ne, ſi non feciſſet libri tantâ nuncupatione conſecrati incautos deciperent, quos tam illius quam Honorati ſuffragia abſtinuiſſe judicarent. Imò in illo magis hęc Eucherium tangebat cauſa, quam Honoratum quod expreſſis verbis teſtatur ſe collationes illas Eucherio compellente digeſ-

ſiſſe. Unde majori patuiſſet invidiæ & obtrectationi Eucherii facti jam Epiſcopi ſilentium, qui hac dignitate auctus, ſapientibus & inſipientibus magis etiam factus erat debitor. At quoniam caritas patiens ac benigna eſt, nec ęmulatur, aut perperam agere novit, ea quâ Eucherius æſtuabat, id etiam illi conſilium aperuit, ut non diſputatione , quæ licet quandoque neceſſaria ſæpè ſæpiùs animos diſjungit, ſed diffuſioris ratiocinii contractione nimietates reſcinderet, & ſermonis elegantiâ prolixitatem compenſaret. Quę ideò carptim animadverto: quamobrem audio nonnullos de hac Eucheriana lucubratione dubium movere, quòd ea forſan non exiſtat. Sed hęc ratio ęlumbis eſſet. Vir Eminent. *Henr. Noriſius* exiſtimat quidem illud ipſum non videri teſtimonio veterum ſatis firmatum. At cur hæc altioris eruditioris virum inceſſerit opinatio, magis miror; nam ſi auctor *Eucherio* ſubpar *Gennadius*, & in hoc præcipuè, in quo ignominiam ſuam obvelare ſtudens quodammodo propalat, adductus ex antiquitate teſtis, non habeatur idoneus ad faciendam fidem, haud facilè reperiret in aliis quibuſque Hiſtoriæ capitibus meliores fidejuſſores queis deferret. Sed cum *Trithemius* hanc epitomen ſuis etiam temporibus viderit, longeque anterior *Petrus Damiani* (quod jam notavimus) ad hanc operam elimato ſermone abbreviatam lecto-
res

res diverſè remittat, in illos viderer quodammodo contumelioſus, ſi contra tam vetus expreſſumque teſtimonium novus auctor accederem. Quidni virum ævi noſtri pereruditum *P. Pithœum* tanto theſauro quondam ditatum, aſſeverat vir illi ſimilis *Nicol. Faber*, in præfatione ad Hilarii fragmenta, nam quod ait *eorum fragmentorum exemplar penes ſe habuiſſe quod præter etiam libb. de Incarnatione* Chriſti *epitomen contineret, illam fortaſſe quam* Eucherium *Lugd. confeciſſe, teſtis eſt Gennadius*. Quod, inquam, *epitomen de Chriſti Incarnatione nuncupat* Faber, aliud vix autumarem, fuit quàm ipſa collationum epitome, cum eam ſolum Eucherio *Gennadius* adſcribat, atque deſignet *quorundam opuſculorum* nomine.

Quod ſupereſt ubi extollit laudatus *P. Damiani* collationes PP. *quas Eucherius Lugd. Ep. elimato ſermone abbreviare ſtuduit*, ſeque *eo doctore paginam ſuam exaraſſe teſtatur*; ubi, inquam, ita ſcribit *Damianus* & *Caſſiani* collationes indicando, non ipſius, ſed *Eucherii* operam prædicat, indicio eſſe poteſt jam hoc *Damiani* ſæculo XI. in cœnobiis ut plurimum obtinuiſſe, ut non Caſſiani prolixum opus, ſed *Eucherii* epitome legeretur. Id ſaltem conſtat eam B. viro magis fuiſſe familiarem, idque ad ejus laudum partem accedere, quòd animum à Semipelagiano dogmate imprimis abhorrentem geſſerit. Nam alia non potuit illi ſubeſſe cauſa, prop-

Digitized by Google

ter quam Eucherianæ epitomes lectionem ipſis collationibus ita prçpoſuerit.

Porrò cum elimatum *Eucherii* ſermonem laudat pius Antiſtes, in memoriam revocat eruditam illam, ſapientemque Lugdunenſis Epiſcopi ſententiam, dicentis, ad ſummum Dei Sacerdotem pertinere *homines ſibi commiſſos, & ſecundum ſpiritum imbuere, & ſecundum literam perdocere.* Quod cum egregiè in omnes partes executus ſit antequam ad Inſulas vocatus eſſet, ut vel ſolæ ad *Valerianum* & *Hilarium* epiſtolæ mirabili ἐνεργείᾳ & elegantiâ confertiſſimæ fidem faciunt, tantò magis deinceps hanc methodum conſectatus eſſe credi poteſt, quantò Præſul renuntiatus, longè pluribus debitor factus erat. Sanè jam ad dignitatem pervenerat, cum *Capri* libellum, *de Ortographiâ*, emendandum *Agroecio* remiſit, à quo viciſſim commendatur, ob ſuam in ſcribendo peritiam, ac ſtili nitorem: *Noſtra*, inquit, *quæ dictu parva ſunt, ſolicitâ indagine rimaris, à vivendo ad ſcribendum, ab animo ad manum, à corde ad articulum pervenis. Hoc eſt verè ſummum Sacerdotem Dei eſſe, commiſſos ſibi homines, ut ipſi dicitis, & ſecundum ſpiritum imbuere, & ſecundum literam perdocere, &c.* Ita commendatur *Eucherius*, qui hac perſuaſione affectus non potuit hos *Caſſiani* libros omninò terſos ac elimatos contrahendo, epitomæ ſuæ non minima ingenii & artis quibus pollebat ornamenta conferre.

Unde non facilè ad illorum ſententiam accederem, qui ideò exiſtimant, illud *Eucherii* compendium integrum nobis remanſiſſe, in IV. vitę PP. libro: quòd eum ex Caſſiani quibuſdam centonibus coaleſcere videant. Namque I. nullam id opuſculum accerſiti ſtudii lineam præfert, ſed ſolummodo quędam inſtitutionum Cœnobiticarum & collationum capita reducit. Quod ab eo jam laudato abhorret *Damiani* teſtimonio, aſſerentis utique, ſtudium *Eucherio* fuiſſe, has collationes elimato ſermone abbreviare. II. Neque heic Damianus de libris, cœnobiorum inſtitutione prænotatis quidquam memorat; quorum tamen major pars librum illum IV. vitæ PP. occupat. III. Præeunt inſuper huic libro *Sulpicii* Dialogorum excerpta plura, quæ alteram penè libri partem explent. Non eſt igitur cur nobis ſuperaſſe blandiamur auream illam, vel argenteam igne examinatam, ſeptuplumque purgatam *M. Eucherii* operam, ſed eſt cur animum & induſtriam augeamus, ut has opes in Bibliothecarum forulis perſcrutemur diligenter: nam quę adhuc *Damiani*, *Trithemii*que temporibus erant integræ, nil mirum aut inauditum ſi noſtro, in iſtiuſmodi MSS. Codd. conquirendis tam impigro, quam fœlici detegerentur. Sanè collationum opus græca verſione nobilitatum indicat obſervatio ad c. *197*. Biblioth. *Photii*. Quod egregiè confirmat inſignis Cod. MS.

Biblioth. Colbert. è quo id ulterius erui poſſet an ipſa *Caſſiani* opera, vel *Eucherii* epitome interpretationem illam ſuſceperit; nam utramque lucubrationem *Caſſiani* nomine donatam arbitror.

At hæc de rebus ab *Eucherio* geſtis, aut ejus ingenii partibus ſufficiant, nam longè plura utique argumento venirent adjicienda; ſed cum heic ejus vitam ex profeſſo perſequi non propoſuerim, & ſolum pro illo unico, vindicias tractare deſtinarim, multa de illo convolvo, alia non attingo, quæ licet ipſi tam intima propriaque non ſint, ac illa quæ per ſe præſtitit, ejus vitæ vel fortunarum quædam velut appendices nobiliſſimę cenſeri debent: Beatam illius progeniem, in his prę ſertim intelligo, de qua prętor nonnulla de B. *Conſortia*, nil delibatum. Nam iſta quoque debuerat accedere *Severtii* animadverſio, ubi ait: *eſſe in* In Euch. 2. *Diœceſi Lugdunenſi ſacellum Paræciale ſub titulo* Beatę Conſortię, *ab bimiliare occiduum civitatis, prope Baſil.cam alteram* Carbonianam, *apud quam frequens plebis concurſus ex Provinciæ viciniis maximè pro ſanguinis fluxu mirabili exitu comprimendo.* Hæc *Severtius*, quę heic minùs à nobis erant prætermittenda, quòd affinitatem *Conſortiæ* cum *Eucherio*, ex actis converſionis interpolatis duntaxat ſtabilitam, ulteriùs firment. *Tulliæ* enim quam idem ſanctitatis honeſtat character, faciliùs ad *Eucherium* propinquitas ſtabilitur,

tum ex ejus loco ſepulturæ, quam, in agro paterno, *Thele*, hactenus conſiſtente manifeſtavimus: tum quod illa præterea, in Phocenſi noſtra pagos & Eccleſias habeat, ſuâ ſub invocatione. Hęc de *Tulliâ*, atque *Conſortiâ Eucherii* filiabus compendio ſaltem notanda erant.

At quanta his majora de maſcula ejuſdem prole, *Salonio* & *Verano* ſanctiſſimis juxtaque doctiſſimis Epiſcopis obſervanda fuiſſent? nam eos omninò pręterit paternę converſionis hiſtoria. Et *Salonii* quidem natu majoris ignota fuit hucuſque ſedes, (quam tamen alibi non inanibus conjecturis Telone vel Cemelione ſtatuo) ſed non viciſſim ignota fama, quam etſi magnam ſibi ſuis lucubrationibus aſſeruit, majorem tamen illę fecerunt, quas ipſi *Salvianus* Magiſter inſcripſit. Cum enim vir tantus, inter tantos Epiſcopos, quorum etiam *Magiſter* audiebat, tum propter vitæ doctrinæque auctoritatem, tum propter ſermones & homilias, quas illi parabat populo recitandas; cum iſte, inquam, unum inter omnes, *Salonium* elegerit, cui ſuos de Providentiâ & ad Eccleſiam Catholicam libros, exquiſita illius virtutum ac meritorum commendatione nuncuparet, argumento eſt, cum virtutibus, aliiſque animi dotibus ornatiorem tantò fuiſſe, quantò liquet *Salvianum* æquum rerum æſtimatorem, parcum admodum laudum fuiſſe.

Veranum porrò fratrem natû minorem, maximum agnoſcit Epiſcopum exiguum Vintii Nerutiorum oppidum, aut ſi civitas, *minima ſaltem in principibus Juda*, & inter Gallicanas forſan poſtrema. Cujus tamen Inſulas, pro modeſtiâ & humilitate (ut par eſt credere) quod non fuit dedignatus *Eucherii* filius, homo præcipuus & ſoliis nobiliſſimis digniſſimus, apud ſummum Paſtorem id impetraſſe videtur, quatenus hæc licet variè ſuccuſſa Cathedra, ut vicinis quibuſdam adjungeretur, immota ſemper conſiſteret, ſuoſque haberet non modo Paſtores ac Præſules; ſed planè ex eis plures vitæ ſanctimoniâ ac meritorum celebritate ſpectabiles. Hæc autem de *Verano* Epiſcopo, & ejus Sede, poſt indicatam *Salonii* Germani fortunam carptim ſignare, non abs re viſum.

Hi ſanè *admirandiſſimi* Filii Nataque totidem beata fuerunt *Eucherii* progenies, & ejus cum Gallâ conjugii fructus auſpicati: quos æternitati conſerere perfectiùs norunt, cum carnis ſuæ fecere divortium, ut ſanctiore ſpiritus contubernio ſociarentur, namque altè erat infixum *Eucherii* animo Chriſtianæ Philoſophiæ placitum; quòd nempe fidelium conjugiorum fructus eſt continentia, quem utique ſic prægustatum *Valeriano* ſuo auctor eſt conamen. Porrò fuit hoc præcipuum *Eucherii* cum *Gallâ* iſtius conjunctiſſimæ ſeceſſionis emolumentum, quo prolem ſuam mundo datam, & in magnas ejus fortunas genitam, hujus & illarum

egregii contemptores, Chriſto pepererunt ac manciparunt, omneſque (ad Apoſtoli votum) ſicut ſemetipſos eſſe voluerunt. Fuerunt igitur *ex hoc quinque in domo una: at non diviſi: Tres in duo, & duo in tres*, Pater in Filios, *& Filii in Patrem ſuum: mater in filias, & filiæ in matrem ſuam*, ſed unanimes *tempus hoc probarunt, & à ſeipſis judicarunt, quod juſtum eſt.* Quem verſiculum *Eucherius* in quæſtionibus difficilioribus explicare ſatagens, feliciter in ſe ſuoſque convertiſſet, niſi chriſtiana modeſtia ſemetipſum tale tantumque *ſpectaculum mundo Angelis & hominibus factum* videri prohibuiſſet. Sed hæc & alia quæ *Eucherium* ſpectant prolixioribus exquiſitioribuſque præconiis ac figuris tractanda eſſent. Nam etſi plures, hæc beatiſſimâ tempeſtate conjuges id ęmulati ſint inſtitutum, & inter eos *Pinianus* cum uxore juniore *Melaniâ*, uti cum ſorore deinceps vixerit. *Salvianus* itidem cum *Palladiâ*, *Ruſticus* cum *Hebidiâ*, *Pammachius* cum *Paulinâ*; *Lupus* cum *Pimeniolâ*; *Germanus* Autiſiod. cum Euſtochio: *Ruricius* cum *Iberiâ*, *Proſper* Aquitanus cum *ſuâ*; *Aper* cum *Amandâ*; *Armentarius* cum *Paulinâ*; *Apollin. Sidonius* cum *Papianillâ*; *Leontius* Burdeg. cum *Plaudinâ*; *Urbicus* Arvernorum cum *Suâ*. Licet, inquam, iſti tales ac tanti hanc vitæ diſtrictionem tenuerint: nullum tamen hac in ſpecie, chriſtianæ continentiæ cumulatius, præſtantius atque perſeverantius exemplum

1. *Cor.* 7.

perire fas fuerit ab eo quod in Galliis exhibuit *Eucherius* cum *Gallâ*; niſi forſan eidem *Paulinum* cum *Theraſiâ* contulerimus. Illi enim ut ætatis, ita & religionis aliarumque viciſſitudinum objectu, viſi ſunt æquis pedibus incedere, iterumque *ad currendam viam, velut Gigantes exultare*: Unde tantò procliviùs & connaturaliùs jungi debent, quantò (inquit ipſemet *Paulinus* epiſtolâ ad *Eucherium* jam citatâ) *non humanâ amicitiâ ſed divinâ gratiâ invicem nobis innotuimus, & connexi ſumus per viſcera charitatis Chriſti; atque ideò neceſſe eſt perpetuam inter nos manere concordiam, quæ Chriſto auctore conjuncta eſt. Quæ enim vis vel oblivio valeat ſeparare quod Deus junxit*. Ne igitur *Paulini* votis non obſecundemus, *aut oblivioſi ſeparemus*, vel in modico, *quod Deus junxit:* quin enim verò, ut propiùs inſpiciamus & magnificentiùs prędicemus, quos in multis magniſque *charitatis Chriſti viſcera connexuerunt*, ex uno conſpectu exhibitum quod non *humana amicitia, ſed divina gratia* in utroque elucere voluit, atque perficere ad omnium ætatum exemplar & admirationem.

Namque ambo noti ac familiares: ambo nobiliſſimi: ambo Senatorii ordinis viri: ambo Conſulares, aut Conſules: ambo Galliarum Proceres: ambo ampliſſimo patrimonio gravati: ambo tranſcriptis in aliorum jura poſſeſſionibus evangelicam paupertatem profeſſi:

ambo

ambo magnis, ſanctiſſimiſque ductoribus *Martino Honorato, Delphino*, ad perfectionis inſtitutionem uſi; ambo clariſſimis uxoribus matrimonio conjuncti; ambo cum illis converſi; ambo individuâ, ſed mox angelicâ ſocietate cum iiſdem converſati; ambo iiſdem Superſtites; ambo in ſolitudinibus exercitati; ambo majori earum ſtudio longinquas peregrinationes meditati vel emenſi; ambo mutuo exemplo, mutuiſque literarum officiis ſeſe invicem animantes; ambo eloquentiſſimi; ambo ſcriptis religioſis illuſtres; ambo *germaniſſimi gratiæ Chriſti dilectores & confeſſores*; ambo Epiſcopalibus infulis inclyti; ambo vel *repentinâ*, vel præconceptâ *vi multitudinis* ad gradus Eccleſiæ rapti; ambo diſciplinæ vindices; ambo Eccleſiæ Patres & egregii Doctores; ambo monaſticæ profeſſionis cultores ac propagatores; ambo venerationis erga SS. ac præcipuè populares cœlites zelotypi; ambo copioſiſſimâ ſanctitate nobilitati; ambo denique viventes ac mortui omnium literis, linguis & elogiis commendati, *Magnorum ævi ſui Pontificum longè maximi* audierunt ac cenſiti ſunt, nam virtutum ac miraculorum, poſt fata, memoriæ; ambo ſimiliter mirabilioribus vitæ geſtis obſcuritatem induxerunt. *Aug. ad Paul. Epiſt. 106.*

En virum quem *Eucherio* in omnibus comparandum exiſtimarem, ſi quam Lugdunenſis prolem adultam & ſanctam habuit, Nolanus

T

vitalem ſervaſſet. Verum ne in his *Gallæ* celebritatem nimis convolviſſe videamur, occurrit in eâ denuò unde *Paulini* cum *Eucherio* convenientias augeamus: namque hæc illi fuit, quod *Theraſia Paulino* fuiſſe viſa eſt *Auguſtino* & *Ambroſio*, ſcilicet, *non dux ad mollitiem viro ſuo, ſed ad fortitudinem redux in oſſa viri ſui, tantò firmioribus, quantò caſtioribus nexibus copulata*: nam ita planè *virum ſecuta*, imò & conſecuta exiguo illius conjugis contenta ceſpite, ſolata eſt ſe religionis & caritatis divitiis. Sed ad majoris etiam ſimilitudinis expreſſas lineas uti de *Theraſiæ* acceptâ ſanctitate quæſtio movetur (pro qua tamen *Chiffletius* definit) ſic de *Gallâ* non tam conſtans eſt vindicatio. Quod ambabus eveniſſe facilè conjicerem, quia ſponſi tantam ſui admirationem undequaque reſperſerunt, ut ſcriptorum ſtilum, quantumvis expeditum & elegantem, in ſe ſolos, omnem converterint. Quidni! in hac Provincia ſibi impares facilè viſi, nil mirum, ſi quandoque vadimonium deſeruerunt, aut ſi ſponſas in viris, pro facultate laudaſſe crediderunt. Porrò quemadmodum *Idacius* ſcriptor coætaneus, *teſtimonio vitæ beatæ, meritoque* Theraſiam *ex conjuge ſororem factam* Paulino *æquandam* ſcribit, ita *Paulinus* ipſe *Eucherium* & *Gallam* verbis *beatificantibus* proſequitur, *ſanctoſque ac merito prædicandos, ac venerandos extollit:* Queis id inſuper adjungit hiſtoria converſionis, *quod longum ſit*

In Chron.

omnia enarrare, quæ per ſervos ſuos Eucherium & Gallam, *mirabiliter operatus eſt Dominus*: nam iſtis ultrò teſtatur auctor, illam ævo ſuo ſanctimonię laude celebratam fuiſſe. Igitur hoc etiam non minimum ad *Eucherii* ſummam commendationem accedit, quod non modò ſobole, ſed etiam conjuge donatus, quas eadem ſanctitas extulit, per ſe ipſe jam beatiſſimus, ex aliis etiam ſui partibus intimis terque quaterque, multipliciterque beatus reputetur. Quem certè conſummatæ felicitatis apicem, feliciori pariter minervâ expreſſum qui adhuc vellet adhibere, illi mirè conduceret ipſius *Paulini* verba, quibus *Pammachium* & *Paulinam* conjuges, ſimiliſque quodammodo ſortis participes prędicavit. Qui enim ſuperſtitem noſtrum Lugdunenſem *Paulinus* exquiſitis præconiis honeſtavit, *Eucherio* vicem egregiè quandoque rependente, quid forſan exquiſitius non accerſiiſſet, & defuncto litaſſet; ſi amico tam dilecto, ſi tanto Patri, ſi tanto conjugi, ſi tanto Doctori, Præſulique ſupervixiſſet.

Igitur *Eucherius* Antiſtes, ex hoc beatus atque beandus, cui tam numeroſa apud Chriſtum merita exiſtunt; *& cujus caput tam multiplex ambit illuſtrium corona gemmarum, nec alienis intexta floribus, ſed domeſticis coruſca luminibus. Verè illa pretioſa Domino anima, quæ de* quinque *pretium margaritis cepit, eſt enim* conjux *fidei*, Frater *virginitatis*, Pater *perfectionis*, *cui* Salonius

& Veranus *Filii*; Tullia & Conſortia*Filiæ*: Galla *ſponſa*: Is enim *Eucherius* Magnus & Unicus.

SECTIO X.

Chonotaxis Eucheriana.

AT quandoquidem jam univerſa, quæ in incerto jactabantur & diſtrahebantur Eucheriorum Lugdunenſium, vitæ acta ingeniique monumenta in unum contracta reſtituimus; id poſtremum expoſcere videtur inſtituti ratio, ut magni iſtius ac ſolius *Eucherii* geſtorum, ſcriptionumque ſeriem ita defœcatam ac vindicatam, per chronologicos calculos, deduceremus; quibus ad unum veluti conſpectum, quæcumque in hac diſquiſitione ventilavimus exhibita & quaſi trabati clavo fixa conſiſtant. Quod hac *Eucherianæ Chronologiæ* coronide, vitæque etiam breviculum ex ipſo Eucherio & coævis auctoribus deſumptum complectente, ſic exequimur.

Chronologia Eucheriana

Eucherius è nobiliſſimo Senatorum ordine naſcitur in Galliis, & in ea veriſimiliter Narbonenſis Provinciæ regione, in qua patrimonio ditatus ampliſſimo, longiores moras tra-

Digitized by Google

xiſſe, ſedemque poſtremum fixiſſe reperitur.

Eucherius cum *Gallâ* conjuge adhuc vivit in ſæculo, auctus prole duorum filiorum *Salonii* ac *Verani*, & ex actorum *Eucherianæ* converſionis fide, totidem filiarum *Tulliæ* & *Conſortiæ*. Anno CCCCXII.

Eucherius communicat cum *Gallâ* de ſanctioris vitæ propoſito, quo ab utraque parte ſuſcepto, ſponſus primùm ad Inſulam Lirinenſem contendit; ubi ſub *Honorati* diſciplinâ aliquandiu degens *virtutumque ejus æmulus* factus, non multò poſt, *cum uxore, ac benedicta progenie*, Leronem adjacentem Inſulam ingreditur, ubi magno omnium virtutum exemplo, ſuis prælucens, *ſplendidiorem ſe* Chriſto, quàm *mundo* exhibet. Circa annum CCCCXV.

Eucherius Salonium primogenitum vix decennem ad Eremum Lirinenſem remittit, ibique *inter illas SS. manus, non ſolùm imbutus verum etiam enutritus* ſub Honorato *Inſularum parente* ab Hilario etiam tunc *Inſulano Tyrone, per omnium ſpiritualium rerum diſciplinas formatur*. Intra annum CCCCXVII, & XXV.

Eucherius ex eodem ſuo Inſulano domicilio Nolam mittit è ſuis quoſdam, ad viſitandum S. Epiſcopum Paulinum. Et uno poſt anno.

Paulinus Nolanus Ep. ab iiſdem Lirinenſibus alumnis Nolam ab *Honorato* miſſis conſalutatus ad *Euherium* & *Gallam*, cum *beatiſſima progenie*, Lerone, adhuc coadunatos & *venerandi propoſiti opera curantes* ſcribit.

Salonius Vincentio & Salviano in ſacrâ diſciplinâ inſtituendus traditur.

Anno CCCCXXVI *Eucherius* cum jam ante *Ægyptum penetrare* animo propoſuiſſet, ut *eas quas ſol juſtitiæ proximiùs reſpicit terras, maturis virtutum fructibus redundantes, velut turtur caſtiſſimus tranſvolaret*, recipit à *Caſſiano* noſtro *periculoſæ navigationis neceſſitatem demere ſtudenti*, ſeptem intermedias collationes Patrum in *Thebaïdâ Ægypti conſiſtentium.* Illæ enim ab XI. ad XVIII. *Honorato* & *Eucherio* ſpeciatim nuncupatæ leguntur.

Eucherius Anachoreſeos amore incenſus, in adtiguo Inſulæ monte, ſpecum ſibi elaboravit, ſic undique obſtructum, ut nullus ad *Ex Actis converſ.* eum valeret ingredi, L. ei *Gallâ* per feneſtellam quotidie cibos ad veſperum miniſtrante.

Tullia Eucherii filia in virginitate permanens migrat ad Dominum, & ſepelitur in agro paterno qui dicitur *Thele*.

CCCCXVI. *S. Honoratus* ad Arelatenſis Eccleſię regimen aſſumitur, cui urbem primò petenti, comitatum pręſtat *S. Hilarius*: ac mox Lirinum regreſſus, & cum ingenti fratrum gaudio ſuſceptus, gratulationis etiam literas ex *Eucherii* parte ſuſcipit, in quibus Eremi laudes eleganter perſequens ejus quem incolebat, ſeceſſus delineationem graphicè deſcribit.

CCCCXXXII. *Eucherius* ſcribit ad *Valerianum* propinquum ſuum paræneſim, ſeu hortatoriam epiſtolam *de contemptu mundi*, in quâ ſic idoneè omnes

Digitized by Google

oratoriȩ artis flores ac lepores, inter evangelicarum præceptionum & conſiliorum traditionem diffundit, ut niſi heic ſibimetipſi ſuperior exiſtit, nullum fortaſſis, in hoc dicendi genere, inter Noſtros æqualem habeat. Ita malleus ac fortis, ita ſuavis ac nervoſus, ubique ſpirat, atque collucet.

S. Eucherius Lugdunenſis Eccleſiæ Paſtor eligitur, ex revelatione, poſt triduanum jejunium ac ſupplicationes, de more, celebratas Eum verò Clerici in ſpeluncâ retruſum, atque ibi ſoli Deo jejuniis & orationibus vacantem, cæleſti indicio, proditum invenientes Lugdunum perduxere; ubi in Pontificali Cathedrâ ſolenniter collocatus eſt. CCCCXXXIII.

S. Eucherius paulò poſt adeptas infulas *Salviani* literis conſalutatur, ſed iis aſperis & aculeatis, quæque *Magiſtri Epiſcoporum* auctoritatem *Salviano* ob ſumma ejus in Eccleſiam merita datam ultrò confirmant.

S. Eucherius ad *Philonem* compreſbyterum ſuum ſcribit, ut *Maximo* Abbati ſuadeat manere in Monaſterio Inſulæ barbaræ, à quo diſcedere & fratres deſerere meditabatur, eò quòd multi propter metum gentium oblationes ſubtraxerant, quas pro Dei intuitu dare conſueverant. Multa interim refrigeria mittit in Inſulam *Eucherius*, enixeque petit ut domum penſilem, quam juſſerat fieri, ſibi præparent, nec non membranas dictandis jam cœptis trac- Ab an. circiter CCCCXXXV. ad an. XL.

tatibus inſervituras; quos antequam expediat, cum eodem *Maximo* recenſere cupit.

Caſſiani collationes purgat, elimatoque ſermone abbreviat.

Salonius creatur Epiſcopus aut Cemelione Niciæ aut Telone.

Veranus Vintii Neruſiorum Antiſtes, poſt *Arcadium.*

S. Eucherius ad *Salonium* & *Veranum* libros exarat.

S. Eucherius ob miſſa librorum illorum exempla, ad *Hilarium* Arelat. *Ruſticum* Narbon. EE. & *Salvianum* Maſſilien. Preſb. literas ab eiſdem gratulationibus præconiiſque divites accipit.

CCCCXLI. *S. Eucherius* intereſt Concilio Arauſicano I. *S. Hilarii* Arelat. auctoritate coacto, unà cum *Theodoro* Forojulienſi, *Maximo* Reïenſi, & *Salonio* filio jam Epiſcopo.

S. Eucherius varias ad populum ſuum homilias recitat de SS.

De Symbolo, &c.

S. Eucherius Eccleſiam duodecim Apoſtolorum ædificat. Recluſorum ſocietatem inſtituit.

CCCCL. Denique *viridis ævi, maturus animi, terræ deſpuens, cœli appetens, humilis ſpiritu, arduus merito, ac perinde ingenii ſublimiſſimus ſcientiæ plenus, eloquii profluus, magnorum ſæculi ſui Pontificum longè maximus migrat ad ſuperos.*

Porrò

Porrò jam unico *Eucherio*, ut confidimus, vindicato & aſſerto, præſtat Epiſcoporum Lugdunenſium ſeriem reſtituere, quam *Eucherii* junioris fictitia Infula ſus deque confuderat.

Itaque *Patiens Eucherio* ſuccedit, nam qui vulgatis in Elenchis Epiſcoporum deſcribuntur *Salonius* & *Veranus* aliarum ſedium rectores fuere. Nec iſti, judicio noſtro ab Elenchorum concinnatoribus ibidem aſſerti ſunt, tanquam *Eucherii* Cathedræ ſucceſſores, ſed uti filii. Quod in Catalogo perſtringere, tam ſanctum illis auctoribus extitiſſe conjicimus quam ubi *Eucherio* Eccleſiarum Apoſtolorum eſſe tribuendam hocce compendio ſignarunt: *Eucherius Eccleſiam Apoſtolorum*: nam ſimili notarum breviatione continetur adjunctum: *Salonius, Veranus*, quos deinceps arcanæ inſcriptionis imperiti *Eucherii* Cathedræ ſucceſſores commenti fuêre, cum ex adverſo ſupplere debuiſſent; *filii*, quemadmodum in ſuperiori membro: *Eucherius Eccleſiam Apoſtolorum*; ſuppletum erat *fundavit*.

Epiſcoporum Lugd. ſeries reſtituitur

Ita Bollan: ad 5. Febr.

Alter irrepſit occaſione *Senatoris Eucherii*, error in Catalogo Epiſcoporum Lugdun. Quia etenim vox illa: *Senatoris Eucherii* nomini præinſerta erat in vulgatis Catalogis, inde anſam præbuit alterius fingendi Epiſcopi ejus nominis *Senatoris*, de quo omnis meritò ſilet hujus temporis hiſtoria; namque cum Senato-

riæ dignitatis titulo, quam omnes celebrarunt ſcriptores deſignaretur: *Senator Eucherius* in tabulis Lugdunenſibus, ex hoc unico Nomenclatores, & *Senatorem* & *Eucherium* Epiſcopos imaginati ſunt, & unum ab altero ſic divulſum ſuis tabulis inſeruerunt. Quantò verò perſpicacior fuit *Campegius*, qui errorem ſubodoratus *Senatorem* expungit ex albo Lugdunenſium Antiſtitum; tantò plus mirari ſubit de *Severtio* qui *Compegii* exemplo poſthabito *Senatorem* Epiſcopum Eccleſiæ Lugdun. adſcripſit. Verum quantis ſe nodis aſſertione illa implicuerit haud certè fuit ignarus *Severtius*: Ut enim perſpexit vix ullum poſſe aſſignari temporis ſpatium quod hujus *Senatoris* Epiſcopatus occuparet, Lugduni breves moras traxiſſe, moxque ad aliam Cathedram advolaſſe autumavit, ex eo quod ad XII. Kal. Octobris hęc fiat memoria in Martyrologiis *Albani S. Senatoris*; tum multas civitates Lugduni cognomines recenſet queis *Senatorem* Epiſcopum ſedere potuiſſe ſcribit. Tenuibus adeò fundamentis Lugduno noſtro aſſertus hucuſque fuit *Senator* à vulgatis Catalogis, qui ut emendicatis interdùm redundare Præſulibus inter omnes convenit, de *Senatore* jam ampliùs nulla movebitur controverſia, quin ſit ex illo indice amovendus, uti jam amandarunt *Paradinus Th. Raynaudus*, & reliqui rerum Lugdun. Novitii ſcriptores. Quod enim attinet ad tranſla-

tionem illam, prorsùs fictitia eſt, & illi ævo omninò inſolens. Quod ſi nunquam Lugduni, alibi verò ſediſſe *Senatorem* Antiſtitem, quis aſſeveret, nec nos inficiamur, modo jam è Lugduno noſtro removeatur & inconcuſſum maneat, magnum & unicum hujus nominis Senatorem *Eucherium* Eccleſiæ Lugdunenſi præfuiſſe.

Appendix Car. Antelmii *ad Aſſertionem.*

PRELO penè tota commiſſa erat opera; quando de materiâ quæ in eâ tractatur, familiares conferens ſermones cum uno è S. *Joann.* Lugd. Comite ab eo præter opinionem didici *Eucherium* juniorem nuncupatum, non eſſe omninò in Eccleſiâ Lugd. peregrinum: immò publicè ab eâ coli ſicut & ſeniorem, ac ſtatum cuique eſſe ſeparatim diem ſacrum & officium Eccleſiaſticum. Sed ex quo tempore, quâ ratione, quo Auctore duo illi cultus intromiſſi, non edocuit. Ad rem mihi inauditam, & tantâ cum affirmatione ſect. IV. negatam, non leviter commotus typis tardam admovi opem, mox intermittendam duxi, donec eruditorum quos per literas Lugdunum adirem operâ, quid in eâ re verum ſincerumque eſſet perſpexiſſem. Intereà reſponſi expectatione ſuſpenſus conſolabar otium in evolvendis libris

quorum penuriâ intermiſſas ſæpiùs querimur lucubrationes in Provinciâ : neque inane laboris pretium fuit. Obviæ ſiquidem legenti fuerunt ſuppetiæ haud contemnendæ in ſuſceptæ confirmationem controverſiæ. Primus occurrit *Vvaldelbertus* Monachus Prumienſis Monaſterii apud Treviros, *Flori* Lugdun. coætaneus, qui in ſuo metrico martyrologio unum duntaxat celebrat *Eucherium* ad diem XVI. Dec. Ejus autem teſtimonium eò gravioris eſt momenti quòd diſertis verbis in Epiſtolâ ad *Otricum* cui opus ſuum dicat, moneat, ſe in eo componendo maximè uſum fuiſſe *ope & ſubſidio, veteribuſque & emendatis Codicibus ſancti ac nominatiſſimi* Flori *Lugd. Eccleſiæ Subdiaconi*. Ex quo ſequi neceſſe eſt unicum ſolummodò *Eucherium* Lugdun. Epiſcopum, eum ſcilicet totis Galliis celeberrimum, utrique notum fuiſſe, neutri alterum, idque Florum ex Eccleſiæ. Lugd. traditione ſibi Viro doctiſſimo perſpectiſſimâ accepiſſe, atque eâ quæ de S. *Eucherii* aſſumptione in Epiſcopum, narrat, ſoli minimè dubio aptari debere *Eucherio*.

Alia perlegenti antiqua Martyrologia, alia quoque adnotare ſuccurrit, plurimos nempe eis adjectos eſſe lapſu temporum recentiores ſanctos, ſed neque in Martyrologio S. *Hieronymi* nomine inſignito, neque in reliquis omnibus vero S. *Eucherio* & ſuppoſititio ætate poſterioribus, quæ permultas item acceſſiones

paſſa ſunt, alius memoratur hujuſce nominis Epiſcopus Lugd. niſi is qui ab ævo Lugduni colitur die XVI. Kal. Decemb. Verum quidem eſt *Mariam Florent.* qui primus omnium vetuſtius iſtud S. *Hieronymi* Martyrologium vulgavit *Sauſſæio* duce exiſtimaſſe unam eandemque diem utriuſque *Eucherii* honori eſſe Lugduni conſecratam; ſed illud quod gratis omninò profertur, & cum vero pugnat refellere, ſupervacaneum ſit.

Altum quoque de juniore *Eucherio* ſilentium in eodem Martyrologio quod ex vetuſto plus ſexcentorum annorum mſ. Cod. Corbeïenſi edidit Vir. Cl. *Luc. d'Achery* Spicil. tom. IV. als II. Unus ſolum in illo recolitur *Eucherius* ad diem XVI. Kal. Dec. At longè præſtantius & antiquius to. III. àls. II. profert ex Monaſterio Gellonenſi, ſive S. *Guillelmi* de Deſerto in Diœceſi Lutevenſi erutum, quod anno DCCCIV. probat exaratum. In eo omnes SS. Lugdun. accuratè recenſentur, ut videre licet Kalendaria percurrenti. Nullius tamen inibi *Eucherii* memoria præterquam ad diem XVI. Kal. Dec.

Quæquidem omnia, etſi abnutiva argumenta, (neque enim ad rem quæ nuſquam extitit alia afferre, facile) me in propugnatâ à chariſſimo fratre ſententiâ uti certâ & ratâ confirmatum prorsùs effecerunt. Unus reſtabat eximendus ſcrupulus quem animo injecerant Eccleſiæ Lugd. *novitatum inſciæ* ſeparatim

delata duobus Eucheriis obſequia veneranda. At poſt longas moras variorum monimentorum ac mmſſ. codd. indagini adhibitas, omnem penitùs ſuſtulit hæſitationem Lugduno ad me reſcripta prolixa & urbaniſſima Viri de re literaria multùm meriti *Domin. Colonia S. J.* epiſtola, in quâ plura congerit quæ ſententiam extra omne dubium tollunt. Illa pro operis coronide libet & delectat hîc apponere. Admonet itaque Vir doctus in miſſali inclyti olim cœnobii Athanat. O. B. hodie Collegialis Eccleſiæ, unicum memorari *Eucherium* ejuſque diem feſtum ad XVI. Kal. Dec. eſſe aſſignatum. Advertens diligens indagator miſſale iſtud exquiſitiſſimum eſſe & in ipsâ Abbatiâ ſumptibus Prioris typis tum primò impreſſum ann. MDXXXI. remotiſſimam redolere antiquitatem, atque ex vetuſtiſſimo mſ. cod. pro certo exceptum fuiſſe. Miſſale aliud præ manibus habuit editum ann. ejuſdem ſeculi LVIII. in quo unicus commemoratur, eadem die *Euchirius* ita pro *Eucherio* legitur; neque junioris Eucherii uſquam habetur mentio, quanvis miſſalis editori mens fuerit plures Sanctos antiquis ſuperaddere. Sic enim liber inſcribitur: *Miſſale ſecundùm ritum Eccleſiæ Lugd. cum multis officiis ac proſis propriis aliquot SS. noviter additis.* In duobus aliis typis mandatis miſſalibus ejuſdem Eccleſiæ ann. MCCCCLXXXVII. & alio Cluniacenſi ejuſdem ſeculi anno XCV. edito

Digitized by Google

in quo ſancti Lugdun. recenſentur, unius eadem die *Eucherii* mentio.

Neque de his contentus Vir optimus, plures qui in diverſis Eccleſiarum tabulis reconduntur pro indagatione & inventione veri perſcrutatus ex mmſſ. codd. Plurimis prætermiſſis ad tres optimæ notæ potiſſimùm attendit animum. I. Ad Litanias antiquiſſimas quas ſeculo IX. aut X. figit, in Eccleſia S. Stephani quæ tum Cathedralis erat cani ſolitas, uno duntaxat *Eucherio* invocato. *S. Euchiri ora pro nobis.* II. Ad valde antiquum Epiſcoporum Lugd. Catalogum qui in Eccleſia S. *Joannis* aſſervatur. In illo *Eucherius* noſter ſuo refertur loco; alter cognominis nullo. III. Quod Viri ſagaciſſimi exiſtimatione omnes quos recognovit mmſſ. codd. ætate longè ſuperat, ac in hac cauſa decretorium cenſet, Kalendarium eſt Breviario Lugd. Præpoſitum quod penes eſt Collegialem Eccleſiam *Monbriſonii* in puriori membranâ ſcriptum. In illo omnes SS. Lugdun. accuratè ſuâ cuique die ſacrâ memorantur, ſed ut in reliquis ita in hocce, unus in SS. Epiſcoporum Lugd. reponitur numerum- *Eucherius* eâdem die XVI. Kal. Dec. Ad hæc quid valentius adjici poſſit non novi, niſi novitas alterius *Eucherii* cultûs in Eccleſia Lugd. Edocet enim me Vir cl. *Rouviere* Cantor & Canonicus Collegialis Eccleſiæ S. *Pauli* Lugd. certiſſimam illius gemini cultus epocham an-

num eſſe poſtremi ſeculi (neque ultra de eâ inquirendum) XCIII. quo Breviarii Lugd (in quo de duobus cognominibus *Eucheriis* ne verbum quidem erat) deficientibus, novum prelo commiſſum fuit, cui re minus cogitatè penſitatâ quàm tam celebris Eccleſiæ poſcebat honos & dignitas, in duos veluti ſcindi & diſperſtiri placuit S. *Eucherium*.

Eâ de re factus certior, quotquot nanciſci potui, perlegi Eccleſiæ Lugd. olim edita breviaria ex quorum ſubſidio controverſiam ad liquidum perducerem. Tria ann. MDXXII. LXXXIV. & MDCLXX. edita ſuppeditavit Bibliotheca Telleriana quæ ad San-Genoveſ. Pariſ. acceſſit. In illis unius S. *Eucherii* nomen & officium ad diem XVI. Kal. Dec. referuntur lectionibus ad verbum deſumptis ex actis S. *Conſortiæ*, hoc inſcriptis titulo. *Incipit vita* S. Conſortiæ *Virg. & converſionis* Eucherii *Epiſc.* & Gallæ *uxoris ejus*. Tum *Fuit vir quidam* &c. cum reliquâ actorum ſerie quæ ſpectat ad *Eucherium*, in ſex lectiones partitâ. At licet his actis, ut alibi obſervatum eſt, aſperſa ſint quædam Germani *Eucherii* ſeculo non conſentanea & quæ emendatione indiguiſſent, ſat clara ſuperſunt indicia quibus palam prodatur. I. ſplendor natalium. II. Ortus aut domicilium in Provinciâ. III. Res familiaris ampliſſima. IV. Conjugium. V. Ex caſto connubio fructus percepti. VI. Contemptus mundi, carniſ-

carniſque voluptatum. VII. Vitæ ſolitariæ & ſeceſſus amor. VIII. E vita ſolitaria ejus licet renitentis, ad Sedem Lugdun. evectio. IX. Eximiæ ſanctitatis & doctrinæ fulgor. X De divinis rebus plures fervidi, de ſuggeſtu ſermones. XI. Piiſſima denique uxor *Galla* nuncupata. Quis propriis his & peculiaribus inſignibus quaſi lapide lydio notatum verè aureum non agnoſceret *Eucherium*? Si quædam ex his lineamentis in alium cadere, quis univerſa vel ſuſpicabitur? Urgentiſſimi argumenti vim auget & firmat, conſtans & perpetuus ad annum uſque MDCXCIII. uni *Eucherio* delatus ab Eccleſia Lugd. religioſus honor die XVI. Kal. Dec.

Quod ſi quis obſtinato animo diſſentiat, affirmetque eâ die non inclyti illius *Eucherii*, ſed ejus quem *Juniorem* dicunt Lugdunenſibus memoriam ſacro-ſanctam fuiſſe, quid inde conſequens? Res abunde repugnans & incredibilis. *Eucherium* ſcilicet, tot præconiis à SS. Paulino, Mamerto, Proſpero, Sidonio & aliis decoratum, ſuis ſolum Lugdunenſibus per XII. ſecula delituiſſe, & Kalendaria omnia Eccleſiæ Lugd. Scriptores, libroſque Eccleſiaſticos de eo ſiluiſſe quem exteri ingenti laudum merito cumulaſſent? An alium eſſent reveriti Lugdunenſes toto obſcurum orbe, *& omnium Chriſtianorum ore & amore celebrandum* non agnoviſſent. Abſona hæc & immanis (ut ita dicam) *S. Ruſtic. ep. ad Eucher.*

X

opinio, quantùm fidem excedat, quàm Eccleſiæ Lugd. ſit contumelioſa & à communi abhorreat judicio, nemo non videt.

Quæ tamen à veroſimili tantopere diſſita eſt opinio, Breviarii Lugd. anno MDCXCIII. vulgati auctoribus (pace eorum dicere liceat) certa & minimè dubia viſa eſt: dies namque XVI. Kal. Decemb. juniori *Eucherio* dicatam habuerunt quaſi ſi ab ævo illi, nunquam Sancto Eucherio ſacra fuiſſet; antiquæ ſex Lectiones officii propriæ ex iiſdem actis S. *Conſortiæ*, & converſionis *Eucherii* & *Gallæ* excerptæ, breviori & limato ſtilo ad tres ſunt redactæ, reſectis quibuſdam abſurdis geſtis qualis eſt inepta S. *Cæſarii* Arel. Epiſcopi cum *Eucherio* collocutio de qua in opera actum eſt, & quibuſdam additis non ſat religioſè collectis. Exemplo ſit lectio VI. in qua aſſeritur juniorem iſtum *Eucherium* inter primores conſediſſe Hierarchas in Conciliis Arelat. IV. Carpentor. Vaſenſi & Arauſicano II. paulò poſt initium VI. ſec. habitis. Non promiſcuè re verâ cum Provinciæ Arelat. Sacerdotibus, & abſque ullo diſcrimine ſubſcribere decuiſſet Lugd. Epiſcopum; exempla Deceſſorum ei erant præ oculis. S. *Eucherius* Concilio Arauſicano I. nomen ſubſcripſerat Metropolitæ non omiſſa eminentia. Idem actum in Conc. Epamenſi à Viventiolo â quo exceptum narrant *Eucherium* ſecundum. At ſecùs omninò

in his Synodis acceptus eſt adumbratus iſte Lugd. Pontifex. Nam Concilio Arelat. poſtremus omnium Epiſcoporum nomen ſubſcribit. Quod notandum. Inde namque conjici facilè Lugdunenſem non fuiſſe Epiſcopum qui extrà Provinciam, & ad alterius quàm Regni Burgundici in quo Lugdunum tum continebatur civitatem non acceſſiſſet ut Concilio intereſſet abſque aliquo ſuæ Provinciæ Epiſcopo Comite quem Chirographo præceſſiſſet. Concilio Carpentor. XIIIus nomen ſubjicit; Vaſenſi VIIIus. Arauſicano duo *Eucherii* nomen ſubjiciunt. Quem eorum ſibi vindicent Breviarii Auctores, tertio aut quarto priorem locum non obtinebunt. Tantum abeſt ut inter primores Hierarchas in his conſederit *Eucherius* Conciliis. Illi perpetuò præpoſitum cernimus *Cyprianum* quem juxta Tabulas Telon. & Martyrologium Gallican. exiſtimo Telonenſem Epiſcopum, & Auctorem vitæ S. *Cæſarii*. Neque obſtat quod modò de ſe modeſtè & humiliter, modò magnificè & encomiaſticè de *Cypriano* Telon. Epiſcopo loquatur Auctor, & de Concilio Arauſicano cui *Cæſarius* præſederat & *Cyprianus* interfuerat, ſileat; unde hujus vitæ ſcriptorem alium fuiſſe à Telonenſi Epiſcopo Viri eruditiſſimi contendunt. In ſectione etenim prima Aſſertionis ſat ſuperque probatum cenſemus locum illum vitæ S. *Cæſarii* multis vitiis labo-

rare, cum geſta & decreta præcipua Concilii Arauſicani referat Auctor, nomen Concilii ſilentio prætereat. Ex quo alia allata ratio refellitur: ſi enim hic locus *Cypriani* non eſt, quid mirum ſi laudes ipſi debitas operis depravator plenâ manu in aſtra tulerit? Hæc de *Eucherii* II. ſeu junioris in Lugd. vulgato nuper Breviario fortunâ diſſeruiſſe ſufficiat.

Ecquid de S. *Eucherio* actum ſi juniori diem ceſſit, & locum in præfato Breviario? Ipſius veluti cujuſdam adventitii & peregrini dies Feſtus amandatus eſt ad XVI. Kal. Jul. Attamen cum præclara de illo à Scriptoribus Eccleſiaſticis commiſſa eſſent litteris, lectiones de ejus geſtis contextæ ſunt eruditiſſimæ & ornatiſſimæ, ejus ad ſuperos tranſitus annum denotant de quo in juniore *Eucherio* non fit ſermo. Eo ſilentio cunctis cautè proviſum incommodis: nam quoquo ſæculi VI. anno illigaretur obitus ejus tempus, aut actis S. Conſortiæ aut tabulis Lugdunenſibus nunquam cohæſiſſet, adeò verum eſt undecunque conſiſtere certum & firmum, & è contra cadere undique falſum & ſubjectitium.

In his nihilo ſecius unus & idem eſſe agnoſceretur ſenior & junior *Eucherius* ſi præter cæteras ſimilitudines quæ collatis invicem etiam in præfato Breviario lectionibus oculos ac animum feriunt, inditum quoque *Galle* nomen utriuſque conjugi explicaſſent officii Lugd.

conditores. Cumque de eo certiſſimè conſtet tam ex laudatâ S. *Paulini* ad *Eucherium* epiſtolâ quam ex actis S. *Conſortiæ*; non video quominus ſuppoſititius iſte *Eucherius* loco & delatis ſibi honoribus non decedat ut ad genuinum & celeberrimum S. *Eucherium* quaſi poſtliminio redeant. Eâ ratione deflorata paulisper ejus in eo Breviario gloria in alio, ut audio, prope diem edendo, ad laudem ſanctæ Lugdunenſis Eccleſiæ *quæ repentinis* diu *non acquieſcit novitatibus* magis ac magis amplificabitur. S. Bernard. Diſcant jam primæ Galliarum Sedis periculo, reliquæ omnes, *inſtituta majorum* refragentur licet eruditorum conjecturæ & opiniones *pro lege tenenda eſſe & ſicut prævaricatores divinarum legum, ita contemptores Eccleſiarum conſuetudinum, eſſe coercendos*. S. Aug.

FINIS.

APPROBATIO.

ILluſtriſſimi DD. Regiorum Sigillorum Cuſtodis juſſu, Joſ. Antelmii, Can. Eccleſiæ Forojulienſis Opus poſthumum, cui titulus eſt, *pro Unico S. Eucherio Lugdunenſi Epiſcopo* perlegi : nec non Concilium Regienſe ſub Roſtanno Metropolitano Aquenſi anno 1285. hactenùs ineditum, quod ex Archivo Eccleſiæ Forojulienſis eruit, notiſque illuſtravit Carolus Antelmius ejuſdem Eccleſiæ Præpoſitus. Nihil verò in eis reperi, quod fidei orthodoxæ, boniſque moribus adverſetur. Imò totum illud quod utrique Antelmio amantiſſimis, & clariſſimis Fratribus debetur, peritè juxtà & nervosè ſcriptum, elaboratumve, atque adeò luce publicâ digniſſimum, & doctis omnibus pergratum fore judicavi Datum in Sorbonâ,, reparatæ ſalutis anno milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo quinto, die verò menſis Julii vigeſimâ-ſextâ.

A. LEMOINE,
Doctor & Socius Sorbonicus,
S. Benedicti Canonicus.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS, PAR LA GRACE DE DIEU, ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE : A nos amez & feaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, Grand-Conſeil, Prevoſt de Paris, Baillifs, Seneſchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra, Salut. Noſtre bien Amé le Sieur * * * Nous ayant fait ſupplier de luy accorder nos Lettres de Permiſſion pour l'impreſſion d'un Ouvrage qui a pour titre : *Aſſertio pro unico S. Eucherio, Lugdunenſi Epiſcopo: Accedit Concilium Regienſe anni m. cclxxxv. hactenùs ineditum*, Nous luy avons permis & permettons par ces Preſentes de faire imprimer ledit Ouvrage ci-deſſus expoſé, en tels volumes, forme, marge, caractere, conjointement ou ſéparément, & autant de fois que bon lui ſemblera, & de le faire vendre & debiter par tout noſtre Royaume pendant le temps de trois années conſecutives, à compter du jour de la datte deſdites Preſentes. Faiſons deffenſes à tous Libraires Imprimeurs, & autres perſonnes, de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de noſtre obéiſſance. A la charge que ces Preſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, & ce dans trois mois de la date d'icelles ; que l'impreſſion de ce Livre ſera faite dans noſtre Royaume & non ailleurs, en bon papier & en beaux caracteres, conformément aux Reglemens de la Librairie ; & qu'avant que de l'expoſer en vente

le Manuſcrit ou Imprimé qui aura ſervi de copie à l'impreſſion dudit Livre, ſera remis dans le meſme eſtat où l'Approbation y aura eſté donnée, ès mains de noſtre très-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France le ſieur Fleuriau d'Armenonville, Commandeur de nos Ordres; & qu'il en ſera remis deux Exemplaires dans noſtre Bibliotheque publique, & un dans celle de noſtre Chaſteau du Louvre, & un dans celle de noſtre très-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France le ſieur Fleuriau d'Armenonville, Commandeur de nos Ordres, le tout à peine de nullité des Preſentes. Du contenu deſquelles Vous mandons & enjoignons de faire joüir l'Expoſant ou ſes ayans cauſe pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empeſchemens. Voulons qu'à la copie deſdites Preſentes qui ſera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit Livre foy ſoit adjoutée comme à l'original. Commandons au premier noſtre Huiſſier ou Sergent de faire pour l'execution d'icelles tous Actes requis & neceſſaires, ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant clameur de Haro, Charte Normande, & Lettres à ce contraires. Car tel eſt noſtre plaiſir. Donné à Paris le dix-huitiéme jour du mois d'Octobre, l'an de grace mil ſept cent vingt-cinq, & de noſtre Regne le onziéme. Par le Roy en ſon Conſeil.

CARPOT.

Regiſtré ſur le Regiſtre VI. de la Chambre Royale & Syndicale de la Librairie & Imprimerie de Paris, N° 267. fol. 240. conformément au Reglement de 1723. qui fait défenſes, Art. IV. à toutes perſonnes de quelque qualité qu'elles ſoient, autres que les Libraires & Imprimeurs, de vendre, debiter & faire afficher aucuns Livres, pour les vendre en leurs noms, ſoit qu'ils s'en diſent les Auteurs ou autrement, & à la charge d'en fournir les Exemplaires preſcrits par l'Article cviij. du meſme Reglement. A Paris le vingt-trois Octobre mil ſept cent vingt-cinq.

BRUNET, *Syndic.*

Digitized by Google

Digitized by Google

CONCILIUM REGIENSE,

HABITUM AN. DOM. MCCLXXXV.

A ROSTANNO

METROPOLITA AQUENSI.

Nunc primò prodit integrum, Notiſque illuſtratum operâ Car. Antelmii *Præp. Foroj.*

Digitized by Google

CONCILIUM
REGIENSE,
Sub ROSTANNO Aquenſi Metropolita.

PRÆFATIO.

ANno Domini MCCLXXXV. XVI. Kal. Martii ad honorem omnipotentis Dei & B. Mariæ Virginis matris ejus, Nos ROSTANNUS, divinâ miſeratione, S[æ] Aquenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus apud Regium in Concilio per nos ibi indicto præſidentes, aſſiſtentibus nobiſcum venerabilibus Fratribus noſtræ Eccleſiæ ſuffraganeis infra ſcriptis videlicet, R. Aptenſi. M. Regienſi. P. Siſtaricenſi. B. Forojulienſi, Dei gratiâ Epiſcopis diſcreto viro, P. præpoſito & Officiali Vapincenſis Epiſcopi juſta de cauſa abſentis, & Abbatibus Crocienſi & Luræ, Præpoſitis, Archidiaconis, & Procuratoribus dictarum Eccleſiarum, & aliis pluribus Eccleſiarum Rectoribus, & pluribus aliis diſcretis viris in Concilio ipſo exiſtentibus cu-

Vid. not. ad Præf. & ad ſingula Capit. in fine Concilii.

a ij

pientes & intendentes ſtatuere & ordinare illa quæ ad utilitatem & profectum Eccleſiarum & perſonarum noſtræ Provinciæ reſpicere dignoſcuntur, & ad ſalutem animarum, de aſſenſu & conſilio prædictorum, diligenti deliberatione præhabitâ, ſtatuimus & ordinamus prout inferius continetur.

CAPITULA.

I. *Obſervantia Canonum præſcribitur.*
II. *Preces decernuntur & indulgentiæ conceduntur pro liberatione* CAROLI II. *Provinciæ Comitis.*
III. *Curatur confici Chartularia in quibus bona, cenſus Eccleſiarum exſcribantur.*
IV. *Fictitii Priores in beneficiis prohibentur.*
V. *Damnat pacta & juramenta illicita in collationibus.*
VI. *Diœceſanus cognoſcit de delictis Clericorum & Monachorum niſi conſtet de Exemptione.*
VII. *Cenſuræ ſervari debent maximè ab eo qui illas tulit.*
VIII. *Qualiter procedatur contra illos qui excommunicationis ſententiam contemnentes, exemplo pernicioſa peragunt.*
IX. *De abſolutione cum clauſulâ* reincidentiæ.
X. *Excommunicati à nemine ad ſacra admittuntur.*
XI. *Prohibet humari corpora in cœmeterio non benedicto ab Epiſcopo, & humata effodi jubet.*

XII. *Beneficiati extra curiam Epiſcopi fraude in jus vocati, impenſis totius Diœceſis litigant.*

XIII. *Ut nullus miniſtret toxicum, vel alia venenoſa.*

XIV. *De pœnis inferendis in eos qui miniſtrant toxicum vel herbas mortiferas.*

XV. *Qualiter agendum adverſus exemptos qui ſuis privilegiis abutuntur.*

XVI. *Ut Preſbyteri interſint teſtamentis Parochianorum, & ut reſtitutiones incertæ ab Epiſcopis deſtinentur.*

XVII. *Solus Epiſcopus abſolvit de levi manûs injectione in Clericum.*

XVIII. *Ut nemo vacantium Eccleſiarum bona occupet.*

XIX. *Corpora defunctorum in Parochiâ ſepeliuntur, niſi alius electus ſit ſepulturæ locus.*

XX. *Decimæ, inprimis prædiales jure divino ſolvuntur.*

XXI. *Exemptos, decretis Concilii ſubjicit, niſi de exemptionis titulis, fidem faciant.*

XXII. *Præſentatus, coram Patrono non jurat, neque acquirit, aut dimittit beneficium.*

XXIII. *Excommunicantur impedientes ne à ſententiis ſuffraganeorum ad Metropolitam appelletur.*

Digitized by Google

I.

INPRIMIS ſtatuimus & concorditer ordinamus quod Sacri Canones præſertim in generalibus Conciliis editi & Concilium Valentinum, ac ſtatuta provincialia per prædeceſſores noſtros edita cum diligentiâ obſerventur.

II.

Item, ordinamus quod pro liberatione illuſtris Domini KAROLI Principis noſtri in carceribus detenti in Eccleſiis & per Eccleſias noſtræ Provinciæ preces & ſuffragia effundantur cum orationibus Principis, additis collectis B. Mariæ, & pro pace ſervandâ, & quod populus in diebus ſolemnibus per Prælatos & parochiales Preſbyteros ad effundendum preces pro ejus liberatione cum inſtantiâ inducatur. Nos autem ad honorem Dei & dicti Domini Principis & quilibet ſuffraganeorum prædictorum cuilibet, ſuffragium hujuſmodi impendenti XL. dies, de injunctâ pœnitentiâ relaxamus.

III.

Item, quoniam frequenter contingit quod cenſus Eccleſiarum noſtræ Provinciæ indebitè ab aliquibus augmentantur, & nonnunquam per Rectores aliquos ſubtrahuntur, ſtatuimus, & concorditer ordinamus, ut quilibet Prælatus in ſuâ Diœceſi chartularium proprium habeat ſeu

regiſtrum in quo nomina, cenſus & quælibet alia bona Eccleſiarum integraliter conſcribantur, ne fraude ſeu malitiâ alicujus aliquatenus occultentur, augmententur per aliquem, vel mutentur.

IV.

Item, cum intelleximus quod aliqui Abbates, & aliqui alii Patroni in Eccleſiis priores fictitios, nomine tantùm, & non re ponere moliuntur, ſtatuimus & ordinamus quod hæc per aliquem nullatenùs attententur, & ſi contra factum fuit, tam conferens quàm recipiens incurrant excommunicationis pœnam, ipſo facto, & nihilominus illud beneficium Diœceſanus liberè conferat lapſo tempore à canone definito.

V.

Item, quia ſœpè contingit quod Abbates & Patroni & plures alii in præjudicium ordinariæ poteſtatis Eccleſias conferunt, & Clericos recipientes hujuſmodi beneficia aſtringunt pactionibus & variis juramentis, ſtatuimus ut nullus Religioſus, aut Clericus ſæcularis in Eccleſiâ ſeu beneficio admittatur, ſeu recipiatur, nec inſtituatur in eâ per Ordinarium niſi primo conſtiterit quod illa Eccleſia ad ipſum Abbatem ſeu Patronum vel alium pertineat pleno jure, & ſi contrarium factum fuerit per quemcumque, eo ipſo illa Eccleſia vacet, illâ vice per eumdem Ordinarium conferenda.

VI.

Item, ſtatuimus quod ſi quis Clericus converſus, donatus vel religioſus cujuſcumque ordinis, conditionis, ſtatûs, vel dignitatis exiſtat, deliquerit per noſtras civitates vel Diœceſes ubicumque, maximè autem extra loca exempta, & per Ordinarium requiſitus nolit coram eo comparere, & reddere rationem hujuſmodi delicti, idem Ordinarius poſſit ipſum auctoritate hujus Concilii capere & detinere, & etiam ejus mobilia ſeu ſe moventia, ſi quid habet in illâ Diœceſi, quouſque ſatis dederit, de parendo juri coram ipſo, & de juſtitiâ faciendâ, ni fidem faciat de privilegio per quod conſtet ab hujuſmodi ordinariis totaliter ſe exemptum.

VII.

Item, quod ex quo quis excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententiam, ex cauſa probabili, juſta & rationali rectè duxerit promulgandam, ſervet eam firmiter & à ſubditis ſuis faciat inviolabiliter uſque ad ſatisfactionem congruam obſervari, ne forſan ex relaxandi facilitate veniat in contemptum. Parum enim eſt ſententiam ferre, niſi lata ſervetur. Quinimò ſanctiùs eſſet nullatenus promulgare, quam cum periculo negligere promulgatam.

VIII.

Cæterum, abominabilis proh dolor (ſicut ad noſtrum tam de longinquo, quàm è vicino pervenit

pervenit auditum) in quibuſdam partibus inolere cœpit abuſio. Nam aliqui filii Belial qui nec Deum timent, nec hominem reverentur, iniquitatem bibunt ut aquam; qui dum ſententias vilipendunt, dum medicinam quæ fuerat ad ſalutem rejiciunt, mortis incurrunt periculum, & ad interitum ſuæ perverſitatis exemplo nonnunquam inducunt alios & ſeducunt. Iſti quidem in Dei opprobrium, in contemptum promulgatoris, & ſententiæ promulgatæ neglectum, non minùs viliter, quam damnabiliter procedere, imò nimis execrabiliter excedere non formidant. Utpote dum adulterinum Preſbyteri vel Prælati contingentes, officium, & inconceſſum ſibi uſurpantes miniſterium, excomunicationem, imò verius execrationem verſa ſeu perverſa vice in excomunicatores ſeu denunciatores ſuos ſimulare præſumunt, accenſos palearum faſciculos, aut candelas de ſepo, ſeu carbones, aut titiones ardentes, in patellis, conchis, aut ſartaginibus vel ſimilibus vituperabiliter extinguendo. Cumque talia & his ſimilia in Dei vergant opprobrium, & eccleſiaſticæ diſciplinæ redundent contemptum; ſtatuimus, & ſub pœnâ excommunicationis diſtrictius inhibemus, ne quis Clericus vel laicus, major, medius vel infimus, cujuſcunque ordinis, dignitatis, conditionis, vel ſtatus exiſtat, rem tantæ perniciei de cætero per ſe vel per alium,

b

aut pro ſe vel pro alio attentare præſumat. Qui verò hujus ſaluberrimi inſtituti tranſgreſſor extiterit, & intra triduum emendam exinde competentem non exhibuerit, ex tunc ſe ſciat, ipſo facto, excomunicationis vinculo innodatum. Locus autem ubi hæc vel ſimilia, domino loci ſciente, ſeu mandante, vel ratum habente præſumpta fuerint, eccleſiaſtico tandiu remaneat ſuppoſitus interdicto donec ad mandatum Eccleſiæ quam delinquens offendit, & Prælato quem irreverenter deſpexit ſufficiens, & idonea ſatisfactio, & realis emenda præſtita fuerit per eumdem: quoniam cum in talibus non ſit relaxanda vindicta, offenſus Prælatus minimè remittere valeat ullo caſu. Eiſdem pœnis ſubjacere volumus illos, & illas, qui vel quæ talia fieri mandaverint, vel alias opem, vel operam aut conſilium præbuerint, ſi rem tamen tam deteſtabilem prodire contigerit deteſtabiliter in effectum: addito quod eorum hæredes in Clericorum Collegium nullatenus admittantur, niſi priùs cum ipſis ſuper his fuerit miſericorditer diſpenſatum. Et ſi Clericus beneficiatus vel in dignitate, ſeu perſonatu, vel officio conſtitutus taliter exceſſerit: ultra pœnam laïco inflictam, beneficio, ſi quod in Provinciis noſtris obtinet, ſit ipſo facto præſentis Concilii auctoritate privatus: non beneficiatus autem, ad obtinendum beneficium indignus habeatur omninò à Cleri Collegio ſequeſtratus.

IX.

Item, quod ſi quis ab excommunicationis ſententia quam pro contractis debitis, & maximè ubi ſe juramento aſtrinxerat, vel ob manifeſtam offenſam incurrerat in infirmitate vel mortis articulo fuerit abſolutus; ſi ſanus factus aut infra menſem à convaleſcentiâ numerandum ſatisfactionem diſtulerit ut promiſit vel injunctum ei extitit; ab inde in antea nulla nova monitione ulteriùs expectatâ in eandem ut priùs excomunicationis ſententiam reincidat, & publicè additâ violatione datæ fidei nuntietur. Si verò de illâ ægritudine moriatur hæredes ejus ad hoc emendandum & obſervandum per cenſuram eccleſiaſticam compellantur, vel executores aut bonorum poſſeſſores, ſi alios hæredes non habeat.

X.

Item, quod excommunicati & maximè poſtquam publicati fuerint, non ſunt in ſuis iniquitatibus ſub quovis figmento palpandi; prohibemus ne tales in Eccleſiis vel cimeteriis, aut juxta valvas Eccleſiarum vel feneſtras aut alia loca unde divinum poſſint audire officium, vel Presbyterum celebrantem videre, dum Miſſarum celebrantur officia, immorari præſumant; quin imò Capellani per ſe, vel Clericos ſuos aut alios diligenter inveſtigare procurent an excomunicati hujuſmodi in Eccleſiâ, vel circa ſe ingerant, & eos exinde recedere faciant,

ut dum divinum ibi agetur officium eoſdem præcipiant abſentare. Quod ſi fortè ipſis parere neglexerint, à proſecutione divini Officii, dum illi ſuam ibi præſentiam exhibere præſumpſerint, ceſſent, & abſtineant, ſub pœnâ quam eis Ordinarius ſuus, ſi ſuper his eos culpabiles, ſeu negligentes inveniat, duxerit infligendam.

XI.

[1] *Item*, quod in cimeterio ab alio quàm à proprio Epiſcopo, vel Archiepiſcopo, aut expreſſo ipſiùs mandato, abſque ſui licentia benedicitur, nullus omninò ad ſepulturam eccleſiaſticam admittatur. Quod ſi contra factum fuerit, nullus penitùs ſepeliatur ibidem, donec illius vel illorum oſſa fuerint exhumata, cujus vel quorum corpora fuiſſent inibi poſt talem benedictionem ſepulta, auctoritate Sedis Apoſtolicæ ſemper ſalvâ. Sed ne facilitas veniæ incentivum præbeat delinquentibus, & aliis audaciam tribuat delinquendi, ſciant Prælati omnem ſibi ſuper hoc diſpenſandi licentiam interdictam, donec exhumatio quæ fit aliis ad terrorem, præceſſerit, ut eſt dictum.

XII.

Item, quia ſpretâ juriſdictione ordinariâ malitiosè per aliquos Apoſtolicæ Sedis gratiâ, & ejus licentiâ abutentes, Abbatiæ, Prioratus, & Eccleſiæ & Eccleſiaſticæ Perſonæ, Canonici, & Clerici beneficiati noſtri ſæculares, &

religioſi coram extraordinariis auditoribus ſæpiùs impetuntur, & iniquitates ac malitiæ plurimæ committuntur, & impares ſumptibus ſic vexati coguntur interdum juri ſuo cedere, vel aliter utcumque vexationes ſuas redimere, ſtatuimus & concorditer ordinamus, quod ex quâcumque causâ Clericus, vel Canonicus, aut quivis alius Beneficiatus de Provinciis noſtris evidenter & indebitè ſpretâ communium amicorum, aut Ordinarii cognitione, per aliquem extraordinarium Judicem delegatum, vel ſubdelegatum, executorem, conſervatorem, inquiſitorem, vel alium extraordinarium quemcumque præſertim extra propriam Diœceſim citatus ſeu moleſtatus fuerit, omnes Prælati, & alii Clerici beneficiati, tam ſæculares quàm religioſi ad ipſius defenſionem dent conſilium & juvamen, & in expenſis contribuere, dictorum Epiſcoporum comprovincialium ad hoc ſpecialiter deputandorum arbitrio, teneantur. Et hoc intelligimus in omni cauſa mota jam vel movenda, ſcita vel præſumpta, vel penitùs ignorata, auctoritate & mandato Sedis Apoſtolicæ & Legatorum ejus in omnibus & per omnia ſemper ſalvis, præſenti articulo per decennium dumtaxat, niſi revocatus fuerit, duraturo.

XIII.

Item, quia latentes inimici homicidia plerumque perpetrant etiam in amicos, ſtatui-

mus, & ſub pœnâ excomunicationis diſtrictiùs inhibemus, ne quis Apothecariorum, vel quivis alius, cujuſcumque conditionis vel ſexus exiſtat, toxicum vendat, nec donet, nec alio modo miniſtret alicui, vel alia venenoſa, niſi priùs ſignificet curiæ ſæculari, ut ſciri poſſit ſuis temporibus, ſi cauſa toxicationis contingeret, quis fuerit emptor ille, vel alius qualiſcumque: & quod Apothecarius quilibet ad hoc ſervandum, juramento corporaliter præſtito pro ſe & familia ſua ſpecialiter aſtringatur. Aliter autem dantes & vendentes, & ad homicidium perpetrandum recipientes, quomodòlibet vel ementes, & ad hoc conſilium, conſenſum, tacite vel expreſſè præſtantes, excomunicationis vinculo ſubjaceant, ad Sedem Apoſtolicam pro abſolutionis beneficio remittendi, & aliàs per cenſuram eccleſiaſticam ſicut juſtum videbitur puniendi.

XIV.

Item, quod quicumque alium toxicare aut opem adhibere, vel conſilium dare, vel in necem alterius toxicum dictare, ſeu vendere, aut aliter miniſtrare præſumpſerit, & herbas mortiferas in mortem vel abortivum cuiquam dederit, eo ipſo excomunicationem incurrat, à quâ nonniſi per Sedem Apoſtolicam abſolvatur. Et ſi Clericus beneficiatus fuerit; illo ſit privatus beneficio ipſo facto, & ab ordine quem ſuſceperat degradetur, tradendus curiæ

ſæculari. Sicut & tali vel ſimili ſuſpicione probabiliter infamatus, & ex veriſimilibus præſumptionibus, & perſpicuis indiciis, apud bonos & graves notatus, ad honorem vel Dignitatem eccleſiaſticam nullatenus admittatur, & nihilominus ad detentionem perſonæ honeſtam, prout requiret perſonæ ſtatus & ſceleris immanitas ſuadebit, ad eruendam veritatis certitudinem, ſicut Superioris diſcretioni viſum fuerit, procedatur.

XV.

Item, dolentes referimus quod nonnulli Religioſi Templarii, Hoſpitalarii, Ciſtercienſes, & alii tam exempti quàm privilegiati de privilegiorum ſibi fortè aut ordini ſuo indultorum prærogativa temerè confidentes, excomunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententias ab Ordinariis, vel Officialibus ipſorum rationabiliter promulgatas, obſervare non curant; quinimò in contemptum Clavium, excommunicatos, ſuſpenſos, & interdictos hujuſmodi, ad Divina recipiunt, aut interdum in donatos ſeu confratres, contra mentem Concilii Lateranenſis admittunt: receptatorum in hâc parte genus peſſimum imitantes, ſine quibus delinquentes in his & ſimilibus diù forſitan non laterent. Sed nec his contenti Domos Conventuales alterius Ordinis quàm ſui, eiſdem Ordinariis lege diœceſanâ ſubjectas, & à ſui fundatione juriſdictioni Prælatorum,

ſalvâ regulâ ſeu Ordinis ſui diſciplinâ ſuppoſitas, tam Prænominati quàm cæteri Religioſi, etiam non exempti, nec privilegiati vindicare ſibi, & Prælatis, quaſi furtim, ſuccedente poſtmodum violentiâ, ſubtrahere moliuntur : ſicque de ſuis indulgentiis ſeu privilegiis confidentes, alios fidentiùs in jure ſuo moleſtant : itaque auctoritate imò temeritate propriâ, nunc in veſtimentis ovium venientes, nunc ſeculari fulti potentia, violentiam per ſe, vel per alium inferentes, poſſeſſiones & quaſi domorum hujuſmodi, ac rerum & jurium ad eas ſpectantium, occupare, & cum armis aliquoties invadere non verentur, & occupata tenere contendunt in Prælatorum præjudicium, plurimorum ſcandalum, & enormem nihilominus illius ordinis cujus erant ab initio, & cui ab antiquo ſubeſſe conſueverant, læſionem. Cumque tales, & tam enormiter excedentes, & notoriè delinquentes, receptatoribus non impares, ac improbis raptoribus nequiores, perinde ut alios jura cenſeant puniendos : nos ergo ut in ipſos animadvertere poſſimus, ut à jure nobis permittitur, & maximè ſi de privilegiis ſuis non velint copiam facere requiſiti ; volentes, ubi eos indulta ſeu privilegia non deffendunt, correctionis & reformationis officium exercere, ac effrænatam ambientium cupidinem reprimere cupientes : ſtatuimus & concorditer ordinamus,

mus, ut tales & ſimiles, in præmiſſis & ſimilibus tam enormiter excedentes, & tam notoriè delinquentes, niſi deſtiterint, & ſaniori ducti conſilio, congruenter intra dies octo ex quo fuerint requiſiti, revocare ſeu emendare diſtulerint, unà cum illis qui ſe ad eos ſic ligati reduxerint, & eos qui tranſlationem hujuſmodi acceptaverint, & exinde monaſteria domoſve conventuales res, & jura hujuſmodi occupare, ſeu invadere cum armis vel ſine armis præſumpſerint, nec non & omnes qui eis ad hoc opem vel opera præſtiterint, aut, ut ſic occupata detineant, conſilium, vel juvamen præbuerint, excomunicationi ſubjaceant, ipſo facto. Sed cum ipſi Prælatis non deferant, ſed potiùs vilipendant eoſdem: Prælati eorum quandiu ſic ſteterint, & auſu temerario vel Officialibus eorum in præmiſſis reſtiterint, in privilegiis vel aliis juribus ſuis tueri eos vel deffendere minimè teneantur. Dignum eſt enim ut qua menſura menſi fuerint eadem remetiatur & eis; ut ignorantes ignorari, & contemptores ſentiant ſe contemni. Quâ enim fronte Prælatorum implorabunt auxilium, qui committere non formidant in ipſos? ſtatuimus inſuper, præcipimus, & concorditer ordinamus, ut ſingulares perſonæ tam ſuimet, quàm ipſius conventus unà cum tranſlationem taliter fieri procurantes, ab illius domo, ſeu conventus conſortio penitùs & in

perpetuum excludantur, vitam ſuam alibi ſub arcta pœna ſui ſuperioris arbitrio finituri. Circa tranſlationem autem ſingularium perſonarum, ad arctiorem fortè regulam tranſire cupientium, nihil per hoc intendimus extra formam à jure editam immutare.

XVI.

Item, ne relictæ in teſtamentis vel aliis ultimis voluntatibus emendæ, vel ad pias cauſas eleemoſinæ, vel reſtitutiones directè vel indirectè forſitan occultentur : ſtatuimus, ut vel Preſbyter parochialis intereſſe rogetur ordinationi teſtantis, ſi haberi poterit, aut quod Notarius infra octo dies, à die obitus numerandos, Prælato vel Officiali, aut Preſbytero parochiali, copiam illius articuli ubi qualis eleemoſina pro piis uſibus deputata, vel emenda, ſeu reſtitutio facienda, ſub pœnâ excommunicationis, quam ipſo facto, ſi negaret, incurrat, fateri fideliter teneatur : & ille, vel illi, ſic cum hæredibus vel executoribus teſtatoris ordinare feſtinent, quod emendæ non occultentur, & eleemoſinæ ſic relictæ, vel reſtitutiones hujuſmodi non pereant, ad tempus magnum, vel modicum, aut forte perpetuo faciendæ. Adjicientes inſuper quòd prædictæ reſtitutiones nullatenùs per aliquem executorem teſtamenti, vel per alium, præter Diœceſani licentiam præbeantur : nec aliquis diſ-

tribuere præſumat alibi quam ubi Prælatus duxerit ordinandum, etiamſi à teſtatore contrarium dictum eſſet. Ad hæc adjicimus quod Preſbyteri Synodis venientes, Prælato ſuo vel Officiali ejus, in ſcriptis, teſtatorum & executorum nomina, & quantitates hujuſmodi præſentare in virtute obedientiæ teneantur.

XVII.

Item, quod nullus quomodocumque præſumat ab injectione manuum, quantumcumque modica ſeu levi abſolvere, non habitâ Ordinarii licentiâ nec obtentâ, quod ſi ſecùs præſumptum fuerit, pro non abſoluto habeatur, & evitetur ut prius. Abſolvens autem hujuſmodi, ſi Prædicator fuerit, prædicationis officium ſibi noverit interdictum, donec ab Apoſtolicâ Sede cum narratione ſui exceſſus gratiam meruerit obtinere, vel Prælato ſatisfecerit quem contempſit. Et inter alia ſuum publicè confiteatur reatum, ut ſimplices reddentur in ſimilibus cautiores.

XVIII.

Item, quod nullus omninò Prælatus, Abbas, Prior, vel Clericus, vel laïcus, cujuſcumque conditionis, ſtatûs, aut dignitatis Ordinis, vel Religionis exiſtat, bona Eccleſiarum vacantium Metropolitanæ vel Suffraganeæ, Prioratus, Abbatiæ, vel alterius cujuſcumque Mo-

naſterii vel Eccleſiæ, per promotionem, aut mortem, aut reſignationem, aut mutationem, vel abſolutionem, aut alio quocumque modo vacantis, capere per ſe, vel per alium, aut occupare vel uſurpare præſumat. Quod ſi fecerit tam ipſe quàm obedientes ei aliqualiter in hâc parte excommunicationis incurrant pœnam, ipſo facto.

XIX.

Item, quod corpora mortuorum in cimeteriis Eccleſiarum parochialium ſepeliantur, niſi conſtet in continenti, ſine alio ſtrepitu, quod alibi elegerint ſepeliri. Si quis autem regularis, vel ſæcularis aliter corpus aſportare præſumpſerit inſolenter, antequam de electione ſepulturæ habita fuerit certitudo, omni emolumento in teſtamento ſibi relicto careat; & illud parochiali Eccleſiæ applicetur. Et nihilominus cimeterium in quo humatum fuerit, interdicto ſubjaceat, donec corpus Eccleſiæ parochiali fuerit reſtitutum. Et quod à jure, ſi quod habebat, ceciderit qui non expectatâ definitione vim facere voluerit, & jus ſibi dicere attentaverit.

XX.

Item, cum ex præcepto divino, & ex conſtitutione Eccleſiæ, decimæ maximè prædiales, Eccleſiis debeantur, & ſint nonnulli eas in pro-

priæ ſalutis interitum ſolvere non curantes : ſtatuimus ut cum non ſint palpanda crimina, ne vulnera remaneant incurata, Preſbyteri parochiales parochianos ſuos de quibus tenentur reddere rationem, tam per ſe, quàm per alios, & maximè per illos quos in Eccleſiis ſuis prædicare contigerit verbum Dei, moneant frequentiùs efficaciter & inducant ad decimas hujuſmodi fideliter præſtandas, & integraliter exſolvendas, niſi forſan compoſitio facta legitimè ipſos ſuper hoc excuſaret, alioquin quod ſciant ſe injuſtè, & in animarum ſuarum periculum retinere, & tanquam rei alienæ raptores, & præceptorum Domini & conſtitutionis Eccleſiæ tranſgreſſores, à fidelium conſortio ſequeſtrandos. Et in confeſſionibus ſignificetur eiſdem quod abſolvi non poſſunt, & peccatis confeſſatis ſeu oblitis non ſolvantur in futurum; & de prædictis ſatisfaciant, vel cum Eccleſiâ conveniant de retentis. Et quod ſi contingat eos abſolvi, de futuro prodeſſe non poterit ad ſalutem. Cum, juxta Sanctorum ſententiam, non remittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.

XXI.

Item, ſtatuimus & ordinamus, & ad hoc, terminum tam exemptis quàm privilegiatis duorum videlicet menſium à publicatione præſentium numerandorum concorditer aſſigna-

mus, infra quos oſtendant ſi voluerint privilegia, vel indulgentias, vel prærogativas alias ſi quas habent, per quæ, vel per quas contra præſentis Concilii ſtatuta valeant ſe tueri, & uſque tunc noſtrarum volumus eſſe ſuſpenſum ſententiarum effectum. Et ab inde in antea, niſi cauſam interim ſufficientem oſtendant, volumus ea valere omni jure quo meliùs poterunt & debebunt.

XXII.

Item, ſub pœnâ excommunicationis præcipimus, ne quis à patrono laïco vel Clerico præſentatus, aut etiam præſentandus, præſtet aliquod juramentum in manibus patroni, vel alterius cujuſcumque, ſine ſpeciali ipſius Ordinarii licentiâ & conſenſu: quodque præſentatus ſeu præſentandus hujuſmodi, ab alio quàm ab Ordinario, cui de jure competit, in Eccleſiâ parochiali ſe inſtitui nullatenùs patiatur: nec ex quo per Ordinarium inſtitutus fuerit, beneficium dimittat hujuſmodi; non petitâ ipſius Ordinarii licentiâ, vel obtento conſenſu, vel niſi alia ſufficiens cauſa ſubſit legitima, probabilis & honeſta.

XXIII.

Item, quia ſæpè compertum eſt quod nonnulli impediunt quominùs à noſtris ſuffraganeis, & eorum Officialibus ad noſtrum audi-

Google

torium appelletur, ſicque effectus juſtitiæ plurimum impeditur. Adhærentes ſuper his ſtatutis bonæ memoriæ Domini G. Prædeceſſoris noſtri : ſtatuimus ac etiam in virtute ſanctæ obedientiæ inhibemus, ne aliquis cujuſcumque ſtatûs, eminentiæ, ordinis, aut dignitatis exiſtat, impedimentum præſtet alicui clam vel palam publicè vel occultè, directè vel indirectè, per ſe vel per alium ſcilicet gravando appellare volentes, ſeu eis comminando, ſeu oppoſitionem aliquam ſuper his faciendo, aut alio quoquomodo, quominùs ad nos, ſeu noſtram curiam liberè appelletur, & ad nos per appellationem & quærimoniam recurratur. Si quis autem contra fecerit, ipſum in his ſcriptis excommunicationis vinculo innodamus.

FINIS.

Digitized by Google

✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱✱

NOTÆ AD CONCILIUM.

AD PRÆF. R *Oſtannus.* Ita mſ. Foroj. at Siſtaric. & Dienſis *Roſtagnus*, quod fortè rectiùs: plurimi enim ſec. XI. XII. & XIII Provinciæ Eccleſiis præfuerunt Epiſcopi *Roſtagni* nuncupati. Is cognomen habuit de *Nove.* Nullum in Chronicis & Scriptoribus reperitur veſtigium quo Ordini Religioſo nomen dediſſe conjici poſſit, quanvis ſecùs aliqui ſcripſerint.

R. Aptenſis *Raimundus* cognomine *Botti*, primus ſuffraganeorum nominatur non ratione antiquioris ordinationis, ſed privilegio ſuæ ſedis quæ tunc prioris ſuffraganei honore gaudebat, quem etiam obtinuit in Concilio Aquenſis Provinciæ ann. MCCXII. ac poſtremò ann. MDLXXXV. licet Epiſcopi Aptenſes non eſſent (ut obſervavimus) reliquis Præſulibus inauguratione anteriores. Verùm à multo jam tempore, incuriâ Epiſcoporum Aptenſium, ea prærogativa intercidit, ipſis ex præſcripto can. VI. Concilii Regienſis I. & can. Conc. Aurelian. II. remanente facultate ſacrum mortuale ſolemniter conficiendi & juſtæ perſolvendi Aquenſi Metropolitæ. De illâ praxi hæc habet verus liber cæremonialis Aquenſis: *Defuncto N. Archiepiſcopo fit officium, ſepultura per Epiſcopum Aptenſem cui incumbere debet ex antiquo, & fertur habere palefredum quem N. Archiepiſcopus dum ageret in humanis equitabat.*

Si quis plura de Aptenſibus & cæteris Epiſcopis qui huic Synodo adfuerunt, ſcire cupiat, ſingularum Eccleſiarum Scriptores conſulat: mihi ſat ſit, ne acta iterum agam, nuda eorum hîc notare nomina.

M. Matthæus, Regienſis.

P. Petrus IV. *Girardi de Podio* Michaele Siſtaricenſis.

B. non J. ut legitur in mſ. Siſtaric. *Bertrannus*, ſive *Bertrandus* de Fabario Forojulienſis.

P. Præpoſitus & Officialis Vapincenſis. Officialis nomine ii omnes veniebant qui quoquomodò erant ab Officiis & Mandatis Epiſcopi, ut Archidiaconi & Archipreſbyteri &c. Unde in Conc. Rotomag, ann. ML. decernitur: *Ut nullus ex Officialibus Epiſcopi videlicet Archidiaconis aut Notariis pro ordinandis Clericis munera exigantur.* Eodem ſenſu *Alexander* III. ſcribit Cantuarienſi Epiſcopo *inſtitutionem Beneficiorum ſpectare ad Epiſcopos, vel eorum Officiales.* Officialis propriè is erat qui auctoritate ſibi ab Epiſcopo conceſſa utramque juriſdictionem planam, quam vocant,

cant, & Forenſem exercebat, ex quo modò Vicarius Epiſcopi, modò Officialis dicebatur.

Abbatibus Crocienſi Eccleſia Croſcienſis in Diœceſi Siſtaric. ſec. XI. à Presbyteris & Clericis ſecularibus regebatur, eratque juris S. *Petri* ut patet ex libro I. Epiſt. LXVII. *Gregorii* VII. ad *Giraldum* Siſtaric. Poſtmodùm in Collegialem excrevit: anno enim MCCVII. *Bermundus* Siſtaric. Epiſcopus Eccleſiam de *Thonicis* concedit Præpoſito & Canonicis Croſcienſibus. Demum novis adjectis fundis, in Abbatiam Ord. S. Aug. erecta. Illi, anno MCCIC. præerat *Petrus* Abbas qui fortè iſti Concilio interfuit. Verùm collapsâ ibi regulari diſciplinâ, procurante Murio *Gaſtinello* Epiſc. Siſtaric. acceſſit cum ſuis dominiis ad menſam Epiſcopi anno MCCCCLVII. ex Decreto Callixti III.

Lurenſi ejuſd. Ord. in eâdem Diœceſi. Quis eam tempore Concilii rexerit Abbas, neſcitur.

Præpoſiti. Præeunt Abbates Præpoſitis ac Procuratoribus Capitulorum Cathedralium Eccleſiarum, licet ſubſequantur in plurimis Conciliis, uti Nugariolenſi ann. MCCXC. Silvanectenſi ann. MCCCXVIII. Rotomag. ann. MCCCXXXV. Avenionenſi ann. MCCCXVI. &c.

Apud Regium: olim Reïenſis civitas. Ita in Itinerario *Antonini*, vulgò nuncupato, *Sidonio Apollinari*, ac in plurimis ſculptis monimentis quæ *Bartellus* exhibet in Hiſtoriâ Regienſi, præclara de ejus urbis nobilitate referens; at fallit maximè dum nominis quâdam ſimilitudine, aliiſque leviſſimis conjecturis deluſus, *Ricomagum* ſeu *Bricomagum*, hodie *Brianſon*, pro Reïenſium civitate accipiens, Reïos in Provinciâ Alpium maritimarum contentos fuiſſe affirmat, cum ipſum quod laudat Itinerarium ac Galliarum notitiæ omnes, in II. Narbonnenſi cujus Aquæ Metropolis, disertis verbis Reïos collocent.

Ad CAP. I. *Concilium Valentinum.* Illud nempe quod labentis tum ſeculi anno XLVIII. apud Montiliacum in Diœceſi Valentinâ aſperrimis temporibus pro fide, pace ac libertate Eccleſiæ tuendis congregatum fuit ex quatuor Provinciis, Narbonn. Viennenſ. Arelat. & Aquenſi *Innocentio* IV. P. M. Præſidentibus, *Petro* Albanenſi Epiſcopo, & *Hugone*, S. Sabinæ Presbytero S. R. E. Cardinalibus ejus Legatis.

Ad CAP. II. *Pro liberatione illuſtris Domini* Karoli *Principis noſtri in carceribus detenti* &c. *Karolus* de quo hîc habetur ſermo, filius erat *Karoli* I. S. *Ludovici* germani fratris, atque ex ſuo cum *Beatrice Berengarii* III. filiâ & hærede matrimonio, Comi-

tis Provinciæ. Is ex traditione *Urbani* PP. IV. anno MCCLXIV. utriuſque Siciliæ Regna poſſidenda acceperat, quæ jamdudùm ex variis Summorum Pontificum decretis, ex illo in primis quod in Concilio Lugdun. ſolenniter prolatum fuerat adversùs *Fridericum* II. Imp. vacua erant facta. Aliquot poſt Concilium annis *Friderico* tum *Conrado* ejus filio perfidiosè à *Manfredo* altero ejus filio illegitimo extinctis, *Manfredus* dum *Corradini Conradi* filii tutelam gerit, proprio nomine omnem dominatum uſurpat, æquè ac Pater Romanis Pontificibus infenſus & viciſſim invifus. Interea *Carolus* à *Clemente* IV. *Urbani* ſucceſſore in Italiam vocatus, *Manfredum* aggreditur, debellatumque in acie cædit ann. MCCLXVI. *Corradinus* in regna paterna reſtitui cupidus, bellum redintegrat at fortunâ adversâ, captus enim in prælio, capite minuitur.

Dominabatur tum, ac in utrâque Siciliâ rerum tranquillè potiebatur *Karolus* poſt multa ſtrenuè ac fortiter ab illo geſta, quando ſceleratiſſimâ Siculorum conſpiratione, ferro exciſi ſunt quotquot erant in Siciliâ Provinciales, duce potiſſimum ac impulſore *Petro* Aragoniorum Rege, cum quo *Conſtantiâ Manfredi* filia nupſerat. Acriùs exinde inſtaurato bello claſſis utrinque inſtruitur, ac demùm prope Meſſanam confligitur navali pugnâ, in quâ *Karoli* filius tunc dictus Princeps Salernitanus, infauſtum prælium facit, & in Regis Aragoniorum manus incidens Barcinonam deducitur. Ibi dum captivus attinetur *Karolus* ejus pater vitam exuit, anno MCCLXXXV ineunte; atque illicò *Karolus* II. ejus filius, licet in Cataloniâ detentus, hæres ac ſucceſſor in omnibus ejus dominiis agnoſcitur; menſeque Martio inſequenti *Roſtagnus* Aquenſis Archiepiſcopus Provinciæ ſuæ Concilium iſtud indicit apud Regium. Præcipua Synodi cura fuit ut preces decernerentur pro liberatione Principis, qui tandem anno poſt ejus carcerem quarto, ſuis reſtitutus eſt, pace cum Aragonio initâ, *Philippo* Pulchro & *Eduardo* Anglorum Rege auctoribus.

XL *Dies de injunctâ pœnitentiâ* non ultrà cuilibet fideli pro Rege preces effundenti juxtà can. LXII. Conc. Lateran. IV ab Innoc. IV. in Conc. Lugd. I. confirmatum relaxant ſoli Epiſcopi, non Abbates qui aderant Concilio, quoniam *Indulgentiæ ſunt Epiſcopalis dignitatis, nec eas concedunt Abbates, niſi fortè ex ſpeciali conceſſione.* Can LX. ejuſdem Conc. Lateranenſis.

Ad CAP. III. *Chartularium proprium*: eo nomine quandoque Scrinium, hîc Regeſtum intelligitur quo ſenſu accipitur in can. XIX. Conc. Arelat. anni MCCLXXV. Quandoquidem primis

temporibus, Eccleſiarum bona omnia ſub poteſtate erant Epiſcopi, rem Eccleſiæ & rem Epiſcopo propriam manifeſtam eſſe debere Concilium Antiochenum, Canones Apoſtolorum innovando decreverat can. XXIV. ne rebus omnibus promiſcuis, defuncto Epiſcopo, Eccleſia aut hæredes legitimi detrimentum paterentur, & Sacerdotis memoria maledictis oneraretur. Optima, tùm ad iſtud incommodum præcavendum, tùm ad tuitionem & conſervationem bonorum Eccleſiæ, Chartularii, ſeu Inventarii inſtituta ratio. Ad illud muneris duo olim inmagnâ Eccleſiâ Cpolitanâ delecti præcipui è Clero Miniſtri, Magnus ſc. Oeconomus & Chartophylax, quorum ſingula munia explicant *Codinus* & Schol. de Off. M. Eccleſiæ Cpolit.

Idem in Occidente onus injunctum fuit Archidiaconis à Conc. Oxonienſi ann. MCCXXII. can. V. Turonen. ann. MCCLIII. can. IV. deinde cuilibet Eccleſiarum Rectori ab Arelat. Conc. ann. MCCLXXV. can. VI. Avenion. ann. MCCCXXXVI can. LIII. aliiſque item poſterioribus Mediolan. Aquenſi Mechlinienſi, &c. Conciliis, hujus operis ſemper Rectoribus & moderatoribus Epiſcopis.

Sixtus V. P. M. ardua aggredi ſolitus Inventarium generale bonorum omnium Eccleſiaſticorum per univerſam Italiam conſtituendorum, & in Palatio Apoſtolico recondendorum, meditatus fuerat, ſed rei difficultate impeditus, iſtud negotii ſingulis beneficiariis committere ſatiùs eſſe duxit. Verùm intentis facta non ſunt conjuncta. Præclarum idem & perutile opus movens animo Benedictus XIII. in nuperrimo Concilio Romano confici juſſit, *tit.* XII. *de fide inſtrumentorum* ea adjuncta methodo, ut res primo intuitu operoſa, expedirè & nullo fermè negotio queat perfici.

Ad CAP. IV. *Fictitii Priores.* Quandoquidem ex Decreto Conc. Lateran. III. can. VIII. & Conſtitutione *Clement.* VIII. relata in cap. 2. ext. de ſuppl. neglig. Prælat. cautum fuerat ut Eccleſiis vacantibus ab omnibus Collatoribus provideretur intra ſex menſes; aliàs facultate exciderent conferendi,ad Superiores immediatos devolvendâ. Ut huic legi regulares ſe ſubducerent Prioratus vacantes ſpecie quidem conferebant, re verâ ſuos faciebant. Nam ita cum proviſis paciſcebantur, ut penes ipſos nudum Prioris nomen, penes Abbates fructus beneficiorum remanerent. Unde *Priores Fictitii, nomine tantùm & non re*, meritò dicti, & pœnis à Conc. Lateran. adversùs tardos Collatores latis obnoxii, immò velut gravioris delicti rei excommunicantur à Concilio tam Prælatus conferens, quàm proviſus.

Concilium Pariſienſe ann. MCCCXLVI. idem interdictum ulteriùs ampliat. can. XI. prohibet enim Prælatis regularibus ne *Prioratus, Eccleſias, adminiſtrationes aut beneficia ad eorum diſpoſitionem ſpectantia quæ non ſunt de menſâ ſuâ, ſed ſpeciales Priores, Adminiſtratores, ſeu Rectores conſueverunt habere applicent menſis ſuis*, ipſiſque præcipit quod *facta in contrarium ad ſtatum priſtinum reducant, & niſi moniti per Diœceſanos hoc fecerint per eos arbitrariè puniantur & nihilominùs attentata ſecùs, in ſtatu debito reponantur.* Atque ut hæ fraudes à re beneficiariâ omninò arcerentur, poſterioribus ſeculis ſancitum eſt, ut quæcunque reſignationes, collationeſque beneficiorum in acta publica referrentur; nam *donatio occulta ſuſpicione non caret* Cap. ut noſtrum ext. tit. Ut beneficia Eccleſ. ſine diminut. Conf. eaſque Concilium Tarraconenſe can. XXV. *nullas & irritas* eſſe declarat, quam ſanctionem Regulæ Rom. Cancellariæ, & edicta Regia apud nos firmam & ſtabilem effecerunt.

Verùm, cum iidem qui hoc ſec XIII. damnantur praxes, ætate noſtrâ repullularent, Regiâ Conſtitutione anni MDCCXIX. latâ, novæ ſunt additæ cautelæ, ut quidquid à Regularibus circa Beneficiorum mutationes geritur, illud palàm & apertè fieret, innovatâ, ſi ſecùs ſit, etiam in exemptos facultate à SS. Canonibus Epiſcopis data, illa conferendi.

In quo ſane mirari ſubit variam circa Beneficiatios regulares pro diverſorum temporum ratione, diſciplinam. Cum enim olim ad beneplacitum duntaxat ſuperiorum ſeu cellæ, ſeu Prioratus aut Eccleſiæ regendæ, committerentur, unde obedientiæ nuncupatæ, cum onere in rem communem fructus convertendi deductis victu cultuque Religioſorum; neque ipſa Sedes Apoſtolica earum adminiſtrationem ad vitam indulgere ſoleret, teſte *Innocentio* III. cap. Porro ! ext. de conf. utili vel non, & cap. Cum ad monaſterium ext. De ſtatu Monachorum, quo regimine, paupertati regulari, obedientiæ ac regularium conſultum moribus. Attamen ex quo Ordo Monaſticus è virtute priſtinâ remittere quid cœpit, Prioratus ad nutum Prælatorum antea revocabiles, perpetui evaſerunt; uſuſque ille adeò in legem ratam & firmam extunc inductus eſt, ut à Conciliis Provincialibus, ac demùm ab ipſâ generali Viennenſi Synodo approbatus & ſtabilitus, etiamnum vigeat, paucis exceptis Canonicorum Regularium Collegiis, apud quos priſca & ſalutaris ad Superiorum arbitrium pendens beneficiorum adminiſtratio, adhuc laudabiliter perſeverat.

Ad Cap. V. *Pactionibus & variis juramentis.* Pactiones factæ

pro quibuſdam ſpiritualibus obtinendis (cum in hujuſmodi omnis pactio , omniſque conventio debeat ceſſare) nullius penitùs ſunt momenti. Ita Gregorius IX. Cap. VIII. ext. De pactis, neque quis ad ea ſervanda tenetur, etiamſi juramento ſint firmata: *non enim dicenda ſunt juramenta, ſed potiùs perjuria quæ contra utilitatem eccleſiaſticam & SS. Patrum veniunt inſtituta* verba ſunt Conc. Lateran. III. can. XVI.

Inde providè cautum in Conc. Moguntino ann. MDIL. *ut nullus in poſterum Clericus ad aliquod beneficium ſeu dignitatem admitti debeat, niſi priùs juraverit quod in ejus adeptione nullam commiſerit ſimoniam, aut illicitam fecerit pactionem.*

Attamen pacta circa ea quæ jure tantummodò Eccleſiaſtico ſunt prohibita, non ſunt illicita ſi interveniat Sedis Apoſtolicæ diſpenſatio ex can. VIII. Conc Rotomag. ann. MDLXXXI. quia, inquit, Innoc. III. in cap. præpoſuit: De conceſſ. præbendæ, *ſecundùm plenitudinem poteſtatis, poteſt de jure ſupra jus diſpenſare*, quod, modo urgeat rationabilis cauſa, uſu eſt, in utroque foro receptiſſimum.

Ad Cap. VI. *Si quis Converſus, Donatus, Condonatus, Oblatus,* Converſi ſeu fratres laïci, qui ſe & ſua dant religioni habitu mutato ſunt verè Religioſi, ac votorum ſolemnium profeſſionem emittere ſolent; cap. Non eſt dubium ext. De regulat. & Clement. unic. De exceſſib. Prælat. ad opera Monaſterii ſunt deputati, ſolumque differunt à Monachis ratione Ordinum Sacrorum, habentes chorum diſtinctum à choro proprio Monachorum. Extat. to. IV. Anecdot. V. C. Martenne Regula pro Converſis Ciſtet.

Donati verò, Condonati, Oblati qui & *Confratres* Exemptorum ex §. IV. Cap. Cum & plantare ext. de privileg. Hæc quatuor in idem quoad rem coincidunt, & ſecundùm diverſitatem Religionum his diverſis vocantur nominibus. Eorum alii erant qui adhuc manentes in ſeculo alicui Regularium ordini ſeipſos mancipabant, mutato habitu ſeculari; alii qui bona ſua ipſis erogabant, retento ſibi quandiu vixerint uſufructu. Utroſque memorat Conc. Lateran. IV. c. LVII. & eos Conc. Rotomag. ann. MCCXXXI. can. XXI. & Synodus Bajocenſis ann. MCCC. cap. LII. *ſingulari & Religioni congruo ſigno indui* jubent *ut per hoc diſtinguantur ab aliis* quanvis verè Religioſi non ſint ut obſervatur in can. VI. Concilii Senonen. ann. MCCLIX.

Maximè autem extra loca exempta. Ex celebri enim Conſtitutione Concilii Lugduni I. relata in cap. I. De privilegiis in VI. à Marcienſi poſtea Conc. ann. MCCCXXVI. can. XXXVI. à Vaurenſi

can. LXXII. ac demùm à Conc. Trident. ſeſſ. VII. de Refor. cap. XIV. innovatâ, *Exempti omnes quâcumque gaudeant libertate Ordinariorum juriſdictioni omni ſubſunt, ratione delicti, ſive contractus aut rei de quâ agitur, modò religioſa res non ſit, aut delictum, aut contractus initus in loco exempto, ſalvis nihilominùs caſibus in quibus eos Epiſcoporum juriſdictioni ſubeſſe canonica præcipiunt inſtituta.*

Niſi fidem faciat de Privilegio. Seculo enim XIII. Licet plures Religioſi à poteſtate Epiſcoporum eſſent immunes, nondum in Eccleſiam quaque patet ſtatus monaſticus, irruperat omnium ferè regularium ab Ordinariorum obedientia libertas, unde multa pro religioſorum tam externo quàm interno regimine ſtatuta ab Epiſcopis condita paſſim videntur in hujus ætatis Conciliis provincialibus. Celebriora ſunt Conc. Senonenſ. ann. MCCXVI. Oxonienſ. Duo Rotomag. Compiniac. &c. Unde onus exemptionis probandæ eis incumbebat qui contra jus commune, ſe ab epiſcopali jugo liberos aſſerebant; ut decernitur in hoc canone.

Ad CAP. VII. Deeſt in mſ. Dienſ. à C. V. Martenne vulgato. *Servet eam firmiter non enim ſervari debet interdictum* (ait Innoc. III. occaſione Hoſpitaliorum,) *ſi illi non ſervant in quorum favorem latum fuit, ne videantur de aliorum fletu ridere.*

Ad CAP. VIII. Deficit quoque in mſ. Dienſi. Totum illud capitulum, iiſdem ferè verbis iteratur in Conciliis Avenionenſ. ann. MCCCXXVI. & XXXVII. cap. VII. & IX. Biterrenſ. cap. VIII. & Vaurenſi cap. CXXVIII.

Adulterinum non *adulterium*, uti legebatur in priori Regiâ editione Conciliorum Avenion. in quibus unius ſolius liter ulæ omiſſione ſenſus omninò obſcurus efficiebatur. In illis deſunt quoque iſta. *Major mediue & infimus*, & *pro ſe vel pro alio* & poſtrema hæc: *omninò à Cleri Collegio ſequeſtratus.* Ac poſt hæc verba *ratum habente* iſta adduntur in CC. Avenion. *vel poſtquam requiſitus fuerit, vel ejus locum tenens, infra X. dies corrigere negligant.*

Pœnam quoque inflictam hæredibus qui ad Clericatum inhabiles decernuntur, *niſi fuerit cum illis miſericorditer diſpenſatum*, quæ diſpenſatio ad quemlibet Epiſcopum de jure pertinet ex iſto Concilio cum nemini reſervetur, hanc, inquam, pœnam Concilia Avenionenſia & Vaurenſe ad poſteros ampliant uſque ad ſecundam generationem, neque remitti poſſe decernunt niſi de conſenſu Metropolitæ & unius ex ſuffraganeis quæ lectio retinenda, quanvis in poſtremâ collectione Regiâ

Conciliorum, ſoli Metropolitæ illa diſpenſatio credita videatur. In illâ quippe deficiunt hæc verba : *cum uno Suffraganeo* quæ ſuppleri debent ex priori editione.

Poſt hæc : *miſericorditer diſpenſatum* reliqua deſunt in Conc. Biterrenſi.

Accenſos palearum faſciculos aut candelas de cepo &c. Levibus ita & frequentibus de cauſis interdicti, & excommunicationis ſententias ferebant Epiſcopi per illam ætatem, ut cenſuræ in contemptum apud vulgus facilè venerint ; adeò ut excommunicati qui in vim cenſuræ à fidelium conſortio ſemoti erant, & ipſi banna facerent contra Excommunicatores & Denunciatores, ut videtur in can. xv. Conc. Valentini, quin immò titiones, ſartagines, aliaque id genus in manibus geſtantes, Excommunicatores, ſuo modo, ſcurriliter & impiè excommunicabant, ſolennis excommunicationis ritûs, campanis pulſatis, candelis accenſis, & in terram projectis, obſervari ſoliti, execrandi ſimulatores. Eâdem de cauſâ inibant ſocietates quas vocabant confratrias quibus mutuum contra Epiſcopos & cenſuras ab eis latas aut ferendas munimen ſibi parabant. Has damnant quas vocabant *Confratrias* Concilia eo ſeculo & ſequenti celebrata Valentin. Burdigal. duo Avenionenſia, Vaurenſe, & longè anteá Concil. Calced. can. xviii.

Ad Cap. IX. Capitulum iſtud deſideratur in mſ. Dienſi. Refertur ad literam ſicut & xvii. inter Conſtitutiones Jacobi II. Ebredunenſis Archiep. quæ ediſſe cum Epiſcopis Comitatus Provinciæ ann. mcclxxvii. narrat *Gaſſendus* in notitiâ Eccleſiæ Dinienſis. At quo fundamento aſſertionem vir doctiſſimus aſtruat, neſcitur, cum ad Regienſe Concilium à quo illa capitula condita ſunt, neque *Jacobus* Ebrodunenſis, neque alii Comitatus Epiſcopi convenerint præter Provinciæ Aquenſis ſuffraganeos.

In eandem ut prius excommunicationis ſententiam reincidat. Exiſtimavit V. C. *Cabaſſutius* in notis ſuis ad hoc Concilium cujus ei copiam fecerat chariſſimus Frater, *Bonifacium* VIII. primum fuiſſe Pontificem qui de abſolutione cum reincidentiâ jus ediderit in cap. eos qui de ſent. excomm. in vi. dato circa ann. mcclxxiv. advertens ei decreto, annos novem præiviſſe Conc. Regienſe. Verùm ſimilis adversùs fideifragos ſanctionis antiquius habetur exemplar. in Conc. *Rhemenſi* an. mcxlviii.

In illo enim *Eugenius* III. qui ei præfuit quanvis voce *reincidentiæ* non utatur, rem eo verbo comprehenſam ſtatuit. Ita enim can. xiii. definit : *Ut ſi quis Epiſcoporum vel Sacerdotum*

aliquem vinculo Excommunicationis innodaverit, & ille mortis metu vel imminentis periculi, vel.... fraudandi ſatisfactionem intra certum terminum promiſerit, & ob hoc abſolutionem meruerit, niſi intra terminum promiſſum ſolvat quod promiſit, morte præventus, maneat inſepultus. Si verò ſine termino hoc ipſum promiſerit & intra tres menſes non ſolverit, ſimili pœnâ tenebitur. Cum quo tamen ſtat, illam *reincidentiæ* vocem primùm à Conc. Regienſi uſurpatam fuiſſe, deinde à Bonifacio VIII. adhibitam. Nam Conſtitutio *Innocentii* III. relata in cap. ad reprimendam ext. de Off. Judic. ordin. non verſatur circa latam, ſed ferendam, in eo caſu, ſententiam.

Ad Cap. X. In mſ. Dienſi à V. C. Martenne edito exorditur hoc capitulum ab his verbis quæ deſunt in noſtro: *Item ex quo qui excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti ſententiâ innodati, ex cauſâ probabili, juſtâ & rationabili publicati fuerint, non ſunt in ſuis iniquitatibus ſub quovis figmento palpandi.* Quæ lectio germana non eſt, ex illâ enim colligeretur etiam, ante Decretum Concilii Conſtantienſis ſolos fuiſſe vitandos excommunicatos qui fuiſſent denuntiati; quod planè adverſatur illius ævi diſciplinæ, juxta quam non ſolùm denuntiati vitandi erant, ſed quotquot excommunicatione irretiti, agnoſcebantur. Rectiùs in codice noſtro habetur ab excommunicatis eſſe cavendum *maximè publicatis* juxta certam illius tum temporis praxim Eccleſiæ.

Ad Cap. X. *Sub pœna quam ei Ordinarius ſuus duxerit infligendam.* Quare arbitrio Epiſcopi pœna infligenda linquatur, cum ipſo jure anathemate percuſſi eſſent quicunque in divinis cum ſibi notis excommunicatis, communicaſſent? Exiſtimarim ego Patres Regienſes, vel arbitrio Epiſcopi voluiſſe remittere tempus abſolutionis impendendæ Clerico, vel pœnam imponendam ejus conſcientiæ reliquiſſe in illis rerum circumſtantiis in quibus eſſet ambiguum an ex culpâ ſeu negligentiâ Clericorum ad divina excommunicati fuiſſent admiſſi.

Ad Cap. XII. Pauperibus Eccleſiis & perſonis in jus vocatis, juvamen præſtandum eſſe, decreverant Concilia plurima, Marcienſe can. xxxv. Vaurenſe can. lxxx. Avenion. ann. mccc-xxxvi. At Conc. Regienſe omnibus opem ferendam decernit Beneficiariis qui prætextu literarum Apoſtolicarum (amicabili in caſſum priùs tentatâ compoſitione) impetebantur extra curiam Ordinarii.... Fraudes & fallaciæ quæ in earum literarum impetrationibus

Digitized by Google

pectrationibus, irrepebant fuſè recenſentur in cap. x. & xi. Conc. Vaurenſis, cap. 11. præfati Conc. Avenion. & can. iv. Concilii apud Caſtrum Gonterii ejuſdem anni. Illos abuſus ex parte emendarunt Innocent. III. in Conc. Lateran. III. cap. XXXVII. Honorius III. in cap. Olim ext. De Exceptionibus, ac demùm Bonifacius VIII. in cap. Statutum. §. Cum verò de reſcriptis in 6. ad quæ Lector remittendus.

Ad Cap. XIII. Conc. Inſulanum ſeu Arelatenſe anni MCCLXXXVIII. cap. 14. eundem canonem verbis contractis repetit pœnis additis gravioribus in veneficos. At Concilia Avenionenſia ejuſdem Provinciæ ſæpiùs adducta iiſdem verbis innovant can. XXI. & XXVII. & in eo duntaxat differunt à Regienſi, quod illæ, curiæ Ordinarii ſeu Epiſcopi, hoc curiæ ſeculari notos facere toxicorum emptores, mandat Apothecariis.

Ad Sedem Apoſtolicam, quo magis horrori foret tam grave ſcelus, ejus obnoxios ad Summum Pontificem ſponte mittit Concilium abſolvendos. Idem in cap. ſequenti. Hujus praxeos exempla plurima ſuppeditat Hiſtoria Eccleſiaſtica: inde caſus plurimi, Sedi Apoſtolicæ reſervati. Concil. Friſigenſe ann. MCCCCXL. can. XXIV. veneficii criminis abſolutionem ſolis Epiſcopis adſciverat.

Ad Cap. XIV. Idem capitulum iteratur in præfatis Conciliis Avenion. can. XVIII. & XXII. ac Vaurenſi can. XVI.

Dictare toxicum. Hoc eſt docere, quem alius excipiat modum conficiendi toxicum.

Ad Cap. XV. Canones XIX. & XXIII. Conciliorum Avenionenſium, & can. CXXI. Concilii Vaurenſis ex iſto capitula deſumpta ſunt, nullâ tamen Templariorum factâ mentione, quandoquidem intermedio generali Concilio Viennenſi deleti fuerant.

Juſtis Epiſcoporum querelis anſam præbuerant conceſſa nonnullis Regularibus plurima à Sede Apoſtolicâ privilegia, quæ tamen fuiſſe partim revocata ab Alexandro IV. & Clemente IV. Patres Concilii Herbipol. ann. MCCLXXXVII. can. XLII. aſſeverant. His elati favoribus exempti, nec ſe ab excommunicatis abſtinere ſatagebant, quanvis ſpecialiter Hoſpitalariis propria ipſorum Regula XVII. prohibitum, nec à ſubditis, aut à confratribus cenſuras latas ab Epiſcopis ſervari curabant. Inde tot ab XI. ſeculo quo privilegia incrementa ſuſceperunt uſque ad XIV. edita à Conciliis tam generalibus quàm provincialibus adverſùs exemptos decreta, ut illos intra ordinem ac debitam

Epiſcoporum ſententiis obedientiam cogerent. Perſtabant adhuc nefariæ illæ in Epiſcoporum autoritatem exemptorum molitiones, tempore Concilii generalis Viennenſis, à quo & illæ ſanctiones innovatæ ſunt. Clement. cum eo. de Privilegiis & cap. quod in te De pœnis & remiſſ. & milites Templi omninò ſuppreſſi.

Contra mentem Concilii Lateranenſis IV. videlicet, cap. XVII. appoſitè *mentem* legitur in noſtro mſ. non *ſententiam*, ut habet vulgatum Avenionenſe Concilium: quia licet à Conc. Lateran. injunctum eſſet exemptis in ſententias ab Epiſcopis prolatas executioni mandarent, non tamen expreſſum, & clarum edictum fuerat decretum de excommunicatis ad converſionem non recipiendis; quapropter exempti qui (ut conqueritur Conc. Avenion. ann. MCCLXXXII. can. VI. *inhærendo intellectui literali duntaxat vel codici privilegiorum, Prælatorum ſententias violabant* Decretum Concilii Lateranenſis perfringere non exiſtimabant, cenſuris ligatos ad vota ſolennia admittendo, quanvis re ipsâ, ſi non contra literam, tamen contra mentem Concilii agerent; ut obſervant Patres Regienſes. Idem prohibitum initio ſeculi ejuſdem, tùm à Concilio Pariſienſi, part. 2. cap. 14. monendo, *ut qui religioni alicui nomen dare poſtulant, indicent primum in ingreſſu an cenſuris innodati ſint nec ne*, tùm à Concilio Monſpelienſi can. XXX. ab Avenionenſi ann. MCCLXXXII. can. VI. Cluniacenſium tamen Abbati indultum eſt à Paſchali II. Epiſt. LXV. *ut poſſet quoſcumque ad ſepulturam & ad converſionem ſuſcipere, niſi pro certis*, ſeu ut intelligo, atrocibus, *criminibus excommunicati fuiſſent.*

Aliis quoque fraudibus tunc temporis minuebant exempti Epiſcoporum jura ſeu ſodalitio ſuo plurimos confratres, qui eorum gauderent privilegiis, ſub duobus aut tribus denariis annuatim ſolvendis, adſcribendo, cui licentiæ modum poſuere Conc. Lateran. III. cap. III. §. 4. de Privileg. Lateran. IV. cap. XVII. & Arelat. ann. MCCLX. cap. XII. ſeu domos regulares integras ſui aut alterius ordinis quæ ſubjacebant Epiſcopis dolo aut apertâ vi, ex causâ tranſlationis occupando, licet Concilium Lateran. III. can. XII. & Lugdun. II. can. XXIII. datâ ſingularibus perſonis facultate ad alios ordines tranſeundi, nominatim prohibuiſſent ne unus Ordo, aut Conventus integer ad alium transferretur abſque Apoſtolicæ Sedis judicio. vid. can. VI. Conc. Senonenſ. ann. MCCLXIX. ubi aliæ benè multæ recenſentur Regularium, Templariorum, Oblatorum &c. in Epiſcopos molitiones.

In privilegiis ſuis tueri: privilegium enim meretur amittere

qui conceſſâ ſibi abutitur poteſtate, *ut quorum libertas perniciosa eſt, ſit ſalutifera ſervitus, & qui ſuperbire noverunt adepta libertate, diſcant obedire ſubjecti.* ut habet Conc. Tolet. IV. cap. VIII

Ad Cap. XVI. Habetur integrum in Conc. Avenion. ſæpè allatis can. xx. & xxv. Biterren. can. x. & Vautenſi can. LXII. paucis mutatis.

Epiſcopis vetita fuerat à Conc. Carthag. IV. can. XVIII. tuitio teſtamentorum; ne ſecularibus rebus ſe immiſcerent, quibus prohibita fuerat propriæ rei familiaris cura; at legatis piis & reſtitutionibus exequendis opem ſuam ponere nuſquam ipſis interdictum, immò debito paſtorali condecere viſum, ad defunctorum & vivorum fidelium liberationem. Illi operi maximè conducere exiſtimarunt Epiſcopi ſi teſtamentis conſcribendis intereſſent Parochi, eiſque intra certum diem, piorum Legatorum exſcriptum daret Notarius, de quibus Parochus in Synodo certum faceret Epiſcopum. Illam Parochi præſentiam tanto cum ſtudio plurima ſec. XII. & XIII. Concilia exoptarunt, ut irrita decreverint teſtamenta ad quæ non fuiſſet rogatus. Vide Concilia Toloſan. Arelat. Rotomag. Albienſe, &c.

Ad Cap. XVII. Quoſcumque percuſſores Clericorum, extra mortis articulum à nemine præterquam à Summo Pontifice abſolvi poſſe, primus Innocent. II. edixit in Concilio Remenſi, tùm in Claromontano, poſtremò in Generali Lateran. Idem innovavit Decretum Eugenius III. in alio Remenſi Concilio nullâ habitâ differentiâ inter enormem, gravem & levem percuſſionem.

Quantumcumque modica ſeu levi. Poſſe à levi Epiſcopos abſolvere declaravit Alexander III. cap. III. ext. de ſent. excomm. Levem autem dicunt eſſe ictum pedis, manûs pugni citra circunſtantias quæ crimen augeant, datum aut quem ſimilem.

Nullus præſumat abſolvere Ordinarii licentiâ non obtentâ, etiam de levi percuſſione, quia jura de ſolis Epiſcopis loquuntur habentibus Diœceſin, non de Ordinariis ſimpliciter, quo nomine venirent quoque Prælati inferiores, juriſdictione quaſi Epiſcopali decorati tot. tit. extr. de ſent. excomm. & eod. tit. 14. in append. ad Conc. Lateran. III. Abbates tamen abſolvunt ſuos ſubditos ad invicem lædentes uti & Epiſcopus cap. II. ext. de ſent. excomm.

Ad Cap. XVIII. Bona vacantium Eccleſiarum circa ſec. XII. III. & IV. à Prælatis, Patronis, & locorum Dominis quandoque

jure antiquo, quandoque injuriâ occupabantur: vid. Nogaret in art. xiv. oblato, Clement. V. Marca de Concordia lib. viii. cap. xxv. & xxvi innumeraque Concilia per hæc tempora congregata.

Præfatæ Synodi Avenion. cap. xxiv. & xxix. Vaurenſis cap. xiii. pro more adhærent Regienſi, appoſita huic capitulo hâc circumſcriptione: *niſi ſibi per privilegium vel conſuetudinem hoc liceret*; quod recidit ad hæc can. vi. Conc. Remenſis: *jus antiquum & beneficium antiquitus conſtitutum*, & ad ſimilia cap. xix. Conc. Lateran. iii. & cap. xii. Conc. Lugdun. ii. aliorumque Provincialium Conciliorum, Herbipol. can. xxvi. Auſcitan. ann. MCCC. can. iii. Londin. ann. MCCCLXVIII. can. xvi.

Vacantium per mortem.... vel abſolutionem illo *abſolutionis* vocabulo, quâ beneficiorum vacationi dabatur locus, nil aliud ſignificari videtur niſi licentia Superioris beneficio renuntiandi, ſeu *ſolvi à cingulo militiæ*, ut habet *Alexand.* III. cap. i. ext. De Renuntiat. Verbum illud pro licentiâ & auctoritate rem dimittendi agendive, tum acceptum quandoque fuiſſe, luculentum profert exemplum (præter alia quæ V. C. *Car. Du Çange* colligit in ſuo Gloſſario) Albanenſis Cardinalis Henricus in Epiſt. iv. ad eundem Alexandrum tom. 3. Bibliot. Ciſtert. Cupiens namque ut Primati Hiberniæ, de Epiſcopatu decedere volenti, conſentiat, atque delectum ab illo ſucceſſorem approbet, rogat ut *tam in* abſolutione *ejus quam in ordinatione iſtius efficaciter annuat.*

Cui autem committenda ſint, defuncto Prælato, Eccleſiæ bona? vid. Cabaſſut. notit. Eccleſ. in can. xxv. Conc. Calcedon.

Ad Cap. XIX. Conflictibus inter Rectores Parochiarum & Regulares ſæpiùs exurgentibus, ſalubriter providit aliquot ab iſto Concilio annis *Bonifacius* VIII. Extrav. Comm. de ſepult. Item Conc. Vienn. in Clement. Dudùm eod. tit. multa exquiſita ad hanc materiam collegit idem *Cabaſſut.* in notis ad Conc. Nannetenſe.

In cimeterio Eccleſiæ Parochialis. Ut ibi quieſcat corpus ubi vivens famulabatur ex Conc. Ænomenſi ann. MX. can. xv.

Habita fuerit certitudo modum illam habendi, indicant Concilia Avenion. crebrò citata cap. xxii. & xxiii.

Ad Cap. XX. *Cum ex precepto divino decima &c.* Jure divino ſolvi debere decimas ſacris Miniſtris in ſignum Dominii uni-

verſi quod in res omnes Deus ſibi vindicat, docent plurima Concilia, Triburienſe can. XIII. Ravennat. an. MCCLXXXVI. Rubrica VII. Oxonienſe cap. LIII. Iſta Malachiæ cap. III. adducens: *Inferte omnem decimam in horreum meum, ut ſit cibus in domo meâ* Salmurienſe cap. V. &c.

Niſi forſan compoſitio facta legitimè hoc eſt cum auctoritate Epiſcopi, alias non tenet ex Conſtit. Alexander III. cap. ſtatuimus ext. De tranſaction. cap. L. Conc. Avenion. ann. MCCCXXVI. & cap. XXIII. Conc. III. Aurelian. quia ut refertur in can. Decretum, art. III. X. q. I. qui eſt Conc. II. Cabilon. *Omnes Eccleſiæ cum dotibus ſuis & decimis & omnibus ſuis, in Epiſcopi poteſtate conſiſtunt, atque ad ordinationem ſuam ſemper pertinent.*

Ad Cap. XXI. *Oſtendant privilegia &c.* Ex pervulgato can. IV. Conc. Calchedon. aliiſque plurimis Conciliorum placitis monaſteria omnia Epiſcoporum ſubſunt juriſdictioni etiam circa internum ipſorum regimen. Unde regulares qui ab Epiſcoporum legibus ſe immunes prædicant, privilegia exhibeant neceſſe eſt. Quibus à jure communi ſe probent liberos, aliàs pro non exemptis reputandos eſſe decernit Synodus Regienſis. Idem antea cautum in Conc. Caſtri Gonſerii can. XIV. Turonen. can. XI. Avenion. ann. MCCLXXXII. can. IX. ac P. R. Decretalibus in tit. De Religioſis Domibus, & tit. De Privilegiis, relatis.

Tam Exempti quàm Privilegiati. Diſtinguntur planè. Primi à jurisdictione Epiſcopi omninò ſunt liberi, niſi aliquando præter S. Chriſma, ordinationes & conſecrationes ex Conſtit. Alexandri II. Epiſt. XIX. Privilegiati verò quoad certa tantummodò capita ſunt immunes, v. g. ut excommunicari non poſſint, eorum loca interdicto ſupponi cap. I. ext. De verb. ſignif. in VI. quales fuêre Milites Templi & alii cap. III. eod. in I. collect. Exemptiones ferè omnes à conceſſione unius aut alterius Privilegii ſumpſere exordium. Deinde aliud ex alio comparantes, regulares, Epiſcopale paulatim jugum penitùs excuſſere.

Ad Cap. XXII. *Sine ſpeciali Epiſcopi licentiâ.* Poſt quæ verba iſta addunt Concilia Avenionenſia ſæpè allata can. XXXI. & XXXVI. *De quo in inſtitutione, vel poſt poſſint præſtare juramentum Patronis ratione temporalium prout eis competit de jure vel de conſuetudine.* Non enim qualecunque juramentum interdicitur, ſed illud quod contra fas & abſque Epiſcopi conſenſu præſtatur; ne eo inſcio privatorum pactis & promiſſis, Eccle-

ſiæ iniquis ſubjiciantur ſervitutibus. Licita enim eſſe, etiam coram laïcis, ratione temporalium juramenta rectè deducitur ex can. XLIII. Conc. Lateran. IV qui illa prohibet *iis tantùm Clericis qui nihil temporale ab illis detinent.* Et quod magis eſt Synodus Bajocenſis ann. MCCC. can. XLIII. adeò illa juramenta coram Patronis laïcis non prohibet quin etiam præcipit *ut Epiſcopus receptum beneficiarium faciat jurare quod ad Patronos accedat ut debitum faciat juramentum.*

In Eccleſiis Parochialibus, cujuſcunque Clerici ad qualecunque Beneficium inſtitutio abſque Epiſcopi aut ejus Vicarii auctoritate regulariter non fit. *Laicus* namque ut habet Conc. Juliobon. cap. IX. *Presbyterum non dat neque adimit Eccleſiæ niſi ex conſenſu Epiſcopi.* Innumeris Canonibus idem jus confirmatur. Ita ut quandiu Archidiaconi, Archipreſbyteri & Decani ad Epiſcoporum nutum fuêre Vicarii eorum nomine ad beneficia Clericos inſtituerint: at ubi fuêre proprio jure ſtabiles, facultate inſtituendi ſenſim deciderunt nudâ eorum aliquibus relictâ immittendi in poſſeſſionem poteſtate ex decreto Conc. Later. I. relato in cap. nullus omninò XVI. qu. VII. & cap. XXI. & XXIII. Alexand. III. De Exceſſib. Epiſc. & Arch. & Innoc. III. cap. ad hæc De Off. Archid.

Attamen jus Epiſcopale in Parochis inſtituendis quovis tempore magis commendatum. Et ſi aliquando alii ab Epiſcopis parochiales Eccleſias contulerint, id ſine illorum vel expreſſo vel tacito conſenſu, fieri nequivit; quia cum inſtitutio ſpiritualis ſit & miſſionem quandam Apoſtolicam cum quâdam in res ſacras & animas juriſdictione, conjunctam contineat, ab Epiſcopis, ut à Deo eſſe poſſit neceſſariò debet accipi, quos Chriſtus in Apoſtolis, à quibus ad Epiſcopos manavit miſſio, *poſuit regere Eccleſiam Dei*, & quibus in ſpiritualibus & animarum curâ inſtituti, ſubjiciuntur. Undè meritò, præter plurima alia Concilia, ſtatutum eſt à Conc. Toletan. ann. MCCCXXIV. can. IV. *ut nullus in curato beneficio adminiſtret donec in eo per Diœceſanum Epiſcopum inſtitutione autoriſabili* (hanc vocem anteriùs uſurpatam nuſquam inveni) *fuerit inſtitutus, & ſibi cura commiſſa fuerit animarum.* Idem decernit Conc. Ravennat. IV. can. XI. licet aliis competat jus inſtituendi ad Parochias.

Ad CAP. XXIII. *Nonnulli impediunt quominùs appelletur.* Quæ priſcis Eccleſiæ ſeculis, à judiciis Epiſcoporum ad Synodum Provincialem erat provocatio ceu recurſus, ob Conciliorum infrequentiam, ne omne confugium deeſſet damnatis, ad ſolos Metropolitas devoluta eſt. Cum autem *ipſi Archiepiſcopi &*

Epiſcopi mutuum ſibi ad invicem auxilium in ſententiis ſervandis & publicandis præſtare deberent, ut eos admonet Conc. Avenion. ann. MCCLXX. can. III. diſciplinam uſu tùm veteri & ſacris Canonibus receptam infringere moliebantur circa ſec. XII. & XIII. tùm Metropolitarum Officiales, latas à ſuffraganeis ſententias, ipſis inauditis, relaxando, ſeu etiam antequam ad ipſos eſſet provocatum, Officiales foraneos qui de adventuris cognoſcerent provocationibus in Suffraganeorum Diœceſibus conſtituendo, tum ipſi Diœceſanorum Officiales, nullâ penitùs monitione præmiſſâ, interdicendo aut excommunicando, quos in cauſis ſuis appellaturos noverant. Quæ omnia inordinata facta coercita & compoſita ſunt à Conciliis generalibus Lateran. ſcilicet III. can. VI, Lateran. IV. can. XXXVI. & III. ab *Innocent.* IV. in Conc. Lugdun. I. cujus Pontificis Decreta *Bonifacius* VIII. ſub tit. De off. Jud. ordin. De Foro compet. De Appellat. &c. in ſexto Decretal. inſeruit. Plurimæ quoque eoſdem repreſſerunt exceſſus Provinciales Synodi, quas inter celebriores ſunt Vaurenſis, Marticenſ. & Salmaticenſ. ſec. XIV. ac Turonenſ. Bituricenſis, Oxonienſis ſec. antecedenti congregatæ & hæc noſtra Regienſis ceu Aquenſis, G. id eſt, Grimerii Archiepiſcopi ſtatuta innovans.

Finis Notarum ad Concilium.

Digitized by Google

ERRATA.

IN PRÆF. page 5 *ligne* 2 notus *liſez* notas
Ibid. ligne 19 an *liſez* ut
page 7 *ligne* 1 an *liſez* in
ibid. ligne 3. Fapetbrochum *liſez* Papebrochium
p. 8 *lig.* 8. liberatos *liſez* liberata
p. 15. *lig.* 5. *poſt verbum* littus *ajoutez* Tranſlationem

IN ASSERTIONE, p. 11. *lig.* 8. luſtrantem *l.* luſtranti.
p. 25 *ligne* 2 annum *liſez* autem
p. 26. *lig.* 21. rem *liſez* res
p. 29. *lig.* 7. decerperit *liſez* deſerpſerit
p. 52 *lig.* 28. recuſus *liſez* rurſus
p. 55 *lig.* 13 Setonem *liſez* Leronem
p. 70 *lig.* 27 cum *liſez* tum
p. 76 *lig.* 6 expetitè *liſez* expeditè
p. 80 *lig.* 19 convetſationi *liſez* converſioni
p. 94 *per tot & ſeq.* Mantonmicus *liſez* Mantonvicus.
p. 96 *lig.* 14 adhuc *liſez* apud
p. 105 & 112. *lig.* 6 & 16 Navatius *liſez* Nazarius
p. 112 *lig.* 2 nulla *liſez* multa
p. 142 *lig.* 27 *poſt* eſt *adde* ad
p. 144 *lig.* 1 petire *liſez* repetire

Levioribus mendis quæ, editore aliò diſtento, præteriere correctorem, Lector benevolè ſupplebit.

005665150

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google